RATIO CONSVLTATIONIS, HABITAE PRO N.

An poſt Variolas purgatione corpus egeat.

AVTHORE


Stephano Roderico Caſtrenſi Luſitano,

Olim Sereniſſimi Magni Ætruriæ Ducis Sanitatis Conſiliario,

Et in Piſano Gymnaſio Medicinam ſupraordinario loco docente.

Cui acceſſit eiuſdem Authoris Quæſtio Valde docta *Vtrùm inter Sanitatem, & Morbum detur Medium,* Prælectio Piſana.







FLORENTIAE,

Apud Dominicum Giraffium. M. DC. XXXXII.

Superiorum permiſſu.

ALL'ILLVSTRISSIMO
Signor
NICCOLO' FANTONI
DE' RICCI
Integerrimo Auditore del Sereniſsimo Gran Duca di Toſcana
FERDINANDO SECONDO.





L balſamo del patrocinio di V. S. Illuſtrisſima difenda (io ne la ſupplico). queſta litteraria oblazione, che fo al ſuo venerabile nome, dalla corruttion dell'oblio, e dà colpi della maladicẽza, dalla quale bene ſpeſſo vengono lacerate le virtuoſi fatiche anco de' più eccellenti Scrittori: già che per emulazione, e talhor per inuidia, troppo rigoroſe, & acute, per non dir mordaci, e maligne ſoglion' eſſer le lingue de' Critici moderni.

Pur (lor mal grado) biasimar non sapranno, ch'io habbia consecrato, e raccomandato parte delle studiose vigilie di mio Padre alla cădidezza dè suoi costumi, all'integrità del suo giuditio, e all'eminenza del suo profondo sapere. Io poi m'assicuro, che la gentilezza infinita di V. S. Illustrissima riceuerà con lieto ciglio il dono, che le offerisco, e che alla sua autorità, e protettione consegno, ne sdegnerà in vn medesimo tempo ascriuer me nell'onorato catalogo de' suoi più deuoti Seruitori; Gratia, che ella non mi deue negare, riguardando la purità del mio affetto, e l'osseruanza, ch'io professo all'Illustriss. sua Persona, alla quale facendo humile reuerēza, prego da' Dio quant'ella desidera, che è à dire, quant'ella merita.

Di V. S. Illustrissima

Obbligatissimo Seruitore

Francesco de Castro.

AN POST VARIOLAS PVRgatione corpus egeat.

πρόλογος.



IDEBOR forſan quiquſdam αἰτιατικὸς, qui aliorum opiniones accuſem, alijs ἀπολογούμενος, qui mei ipſius defenſionē ſuſcipiam: neutris tamen aſſentior, potiuſq; ἀληθινὸς dici mereor, qui meo ære emptam veritatem pono, vt vnuſquiſq; pro ſuo dæmone, ſi non tueatur, ſaltem intueatur. Omnibus diſputando diſſentire liberum eſto, dummodò narrando conueniant: ſin minùs, teſtes omni exceptione maiores inuocabo: ſed quoſuam? nempe eos ipſos, qui tanquàm iudices præerant, apud quos à vero deuiare capitale cenſetur.

Cuperem, ne cōſultantium medicorum ἀμφιβασία innoteſceret, ſiquidem, vt Galenus ait, irridet iſta vulgus, quoties medicos inter ſe altercantes animaduertit, eoſq; loquacitate condemnat. Mente teneo Terentianam ſententiam, *Obſequium amicos, veritas odium parit;* Verùm in medicina facienda, ſi captandæ beneuolentiæ ergo, à me diſſentiam, vt alijs aſſentiam, proditorem, non medicū agam: quare iſthic *Obſequium*, non habet locum. *Quid de Veritate?* Poſſem ne diſſimulare? Inobſequens eſſem, qui meam ſententiam ſcriptis mandare iuſſus, non facerem. Quoad potero, modeſtè agam: quicumq; pungi ſe ſentient, modeſtè ferant, ſi autem moleſtè ferent, dicam cum D. Paulo, *vos me coegiſtis*. Corpus medicandum propono, nomen ægri honeſta de cauſa ſupprimo, medicos etiam nominare, nec licet, nec libet.

De purg. medic. facult. iuxt. fin.

HISTORIA.

SVb veris fine duplice tertiana laborauit, à qua ſanguine ſemel miſſo, leui pharmaco exhibito, fuit liberatus. In ſtatu tamen neutro, hoc eſt, laſſitudinarius remanſit. Non aderam, vt quænā laſſitudinis ſpecies fuerit, poſſim iudicare,

vlceroſam

vlcerosam fuisse suspicor: etenim ab stragulis se pungi querebatur, forsan erat phlegmonodes, quod insueta excandescentia indicabat. Proinde vel pharmacum purgans, vel simul etiam venæ sectionem, præseruationis gratia, expostula-
2.Aph.5. bat: præseruatio, non curatio lassitudinis debetur, vt poteque non est morbus, sed morbum prænuntiat. Igitur omissa præseruatione, morbum, cuius prænuntia lassitudo est, aduenire erat consentaneum, quod medicus præcognoscere tenebatur, patiens verò sibi metuens prædicebat.

Prædictio fuit certa: quippe sub autumno, videlicet die septima Octobris, grauiter caput doluit, parum cœnauit, parum etiam nocte quieuit. Postridie febriebat, dolor capitis aderat: ab iniecto clystere aluus mediocriter respondit: inappetentia, meridie cibus paucus. Vespere fui vocatus: febris ardens vigebat, cephalalgia vehemens, procrastinandum putabat medicus domesticus, & venæ sectionem differendam, alter festinandum existimabat, ego memor variolarum, quæ populariter grassabantur, hanc posteriorem sententiam approbaui: impetum namq; vulgarium morborũ inspicere nos docet Hippocrates: Iccirco sanguinis vncias octo extrahi iussi, ne variolarum prouentus nos præoccuparet, & occasio, quæ præceps est, velociter pertransiret; Etenim nullus post variolarum apparitionem, sanguinis missionem admitteret: & quamuis ego, si plenitudinis signa adsint, venam secare non dubitarem, (vt latè in meo libro de Meteoris Microcosmi demonstraui) nihilominùs contraria opinio apud medicorum vulgus inualuit, & variolis apparentibus sanguinem mittere piaculum censetur.

Noctem laboriosam habuit: mane medicus domesticus nihil agendum dicebat, mihi aliter visum: quippe præteritæ noctis inquietudinem ad naturę sese exonerare volẽtis molestiam referebam, quæ præ nimio onere sui compos non erat, nec expulsionem poterat moliri, itaq; venæ sectionem iterandam censui: *Leuata namq;* vt Galenus ait, *quæ corpus*
11.Meth. c.15. *nostrum regit, natura, exonerataq; eo, quo veluti sarcina premebatur, quod reliquum est, vincet.* Assensit tertius collega, & sanguis ad vncias sex fuit extractus, quo variolæ, vt prædixeram, cum magno artis medicæ decore, intra paucas horas apparuerunt.

Tertia

Tertia die, quartus medicus nouiter adueniens, cucurbitulas, clysteres acres, & artuum fricationes proposuit. Cæterùm, cum facilis esset tuberculorum exitus, nullo istorum fuit opus: neq; sanè, si natura foret adiuuanda, clysteres acres, in hoc casu, admitterentur, qui non fouent, sed impediunt naturę motum, & materiam vlcerantem ad excremẽtorum vias transmittunt, vnde intestinorum difficultas, & vt plurimùm, interitus. Vsq; ad vndecimam semper febris fuit vehemens, noctes implacidæ, somni interrupti, non tamen turbulenti, tuberculorum inflammatio, & tandem optima suppuratio, quia omnia symptomata remissa sunt.

Post vndecimam febris mitis, appetentia valde bona, longiores somni: decimatertia fuit sinè febre, licèt quartus medicus, suo more, adhuc vmbram febris se agnoscere profiteretur, in re tamen laborabat, de qua nulla discreptatio esse potest: nam vnusquisq; suo sensu abundat, & quæ ad sensuum æstimationẽ referuntur, ratione persuaderi nequeunt. Sed omitto hęc: decima quarta communi omnium consensu visus fuit à febre liber.

Decima septima febris rediјt non continua, sed intermittens, non magna, sed quæ ægrum lateret, cum annotationibus ferè incompressis: durauit per dies ferè octo, inter quos fuerunt aliqui, in quibus nulla febris aderat. Tandem febris omnino recessit, erantq; ea die, qua consultatio fuit habita, dies quindecim, aut ampliùs, ex quo nullum febricitationis vestigium aderat.


DISSENTIENTES MEDICORVM opiniones.

PEr plures dies à febre immunis, optimè cibos appetebat, & (vt ostendebant fęces) concoquebat, somni faciles, & longi, corpus tamen ad summam gracilitatem perductũ; quippe habitus in sanitate gracilis, post morbum gracilissimus euasit. Aliquæ, ob confricata tubercula, excoriationes in furunculos abibant, phyma verò vnum apparuit in fęmore, à quo è lecto surgere impediabatur. Quęsitum fuit, *An deorsum purgans pharmacum conueniret:* Medicus, qui primo loco dixit, omnino negauit, & pluribus adductis rationibus,

à purgante medicamento abstinendum fore persuasit. Secundo loco domesticus infusum rheubarbari exhibendum censuit, additis alijs benignis ingredientibus: Mihi, cui tertio loco contigit dicere, prioris medici sententia magis placuit, & pharmacum aluum subducens omnino damnaui, addita tamen consideratione, vt postquàm è lecto surgeret, & solita munia obiret, si purgatione videretur indigere, noua consultatione ageretur. Ei tandem, qui quarto loco dixit (quamuis cartharticum non exhibendum censuit) nihilominùs rheubarbarum exhiberi placuit, cui opposui, rheubarbarum catharticum esse: nam catharticum ex vi vocabuli omne medicamentum purgans significat, dicitur enim à verbo græco Καθαρίζω, idest purgo: tamen ex communi acceptione illud duntaxat medicamentum catharticum dicimus, quod electiuè trahit, non quod lubricando, leniendoue aluum subducit. Hanc obiectionem ille, qui se grecæ linguæ peritissimum iactat, diluit respondens, catharticum esse medicamentum compositum scammoniatum: ò pulchram etymologiam!

In secunda consultatione, iam à rheubarbaro desistentes optabant magis, vt per epicrasim purgaretur, seù, vt dicebat græcizans ille, epicraticè. Opposui tamen, purgationem per epicrasim à Galeno solùm commendari, vbi indicationes sibi inuicem aduersantur: nimirum cum affectus vacuandum esse pręcipit, quod non tolerant imbecillæ vires. At in præsente nulla adest imbecillitas, sed libens è lecto surgeret, ni àphymate illo impediretur. Cum igitur non adsit virium defectus, cui sit occurrendum, epicrastica ista (vt illius vocabulo vtar) euacuatio duo damna inferet. Primum, quia si adest cacochymia, quam isti supponunt, nutrire non decet ex Hippocratis oraculo, *Impura corpora, quo magis nutries, eo magis lędes*. Alterum, quia si ab exhibito vno duntaxat pharmaco ventriculi subuersionem timemus, longè màgis multiplicatis quotidie, vel alternis diebus potionibus, timenda est.

9 Math. cap. 10.



FVNDA-

FVNDAMENTA AD EXHIBENDVM *pharmacum purgans.*

NOn deerant rationes ad persuadendam pharmaci exhibitionem, tum ex lassitudine post tertianam relicta, quæ per plures menses durauit, tum ex cibo lautè sumpto, tum ex vrinis, quas interpolatim mingebat, puras in subsidentibus, interdum enim erant γαλακτώδεις lacteæ, sed citò subsidebant, & sedimentum album pituitosum valde crassum, & multum deponebant, ex quo purg. sanorum similes, remanebant; tum ex vlcusculis, quibus vniuersa membra scatebant, tum ex totius corporis extrema macie. Hæc præcipua fuerunt eorum fundamenta, quorum singula rationibus, autoritatibusq; prout à suis autoribus fuerunt corroborata, referam simul, & refellam.

FVNDAMENTA NEGANTIVM *purgatione opus esse.*

CVm morbus sit affectus lædens primò, per se, sensibiliter actiones, vt ægrum corpus ex actionum vitio, sic sanum ex earundem bonitate dignoscitur, iccirco medicus, qui priore loco dixit, per singulas, vniuscuiusq; facultatis actiones discurrens, corpus sanum esse demonstrauit: quòd si sanum est, necessarium quoq; erit, à medicamento purgante offendi: vnde Hippocrates, magnum errorem medicum committere, existimauit, qui sano corpori purgans medicamentum exhibet: propterea, id sæpius inculcans. *Qui salubritatem corporis* (inquit) *habent, cum per medicamenta purgantur, citò exoluuntur,* Rursus, *qui benè se habent corpore, difficulter ferunt medicationes*: & alibi, *carnes sanas habentibus helleborus periculosus.* 2. Aph. 36. 37. 4. Aph. 16.

Adiuuat, ad dissuadendam purgationem, habitus valde gracilis, tum à natura, tum etiam ab occasione, qui si purgatione ampliùs gracilescat, ad tantam deueniet maciem, vt vix refici queat: ideo Galenus graciles veretur quomodocumq; euacuare. Præterea habitu graciles temperamento sunt sicci, vt Galenus statuit, qui autem sicci sunt, ab exsic- 1. Ad Glauc. c. 14.

Sect. 1. de artic. com. 26 & de Sal. diæ. cõ. 9. & sæpe alibi. 6. Aph. 52.

cantibus lęduntur: medicamentum vero purgans exsiccat; vt Galenus affirmat, & ratio suadet.

Accedit tertia ratio, sumpta ex facili alteratione. Nam ille, qui sicco, calidoq; temperamento est prędítus, & ad actiones, tum mentis, tum corporis velox, facillimo negocio alterationem subit: tale nunc corpus tractamus, quod etiam à quacumq; potione, vel leuiter ingrata, nauseat: adeò, vt propterea nec prysana, nec syrupo aliquo in tota ægritudine nobis vti licuerit. Si igitur corpus exsiccatum, & facilè alterabile, facileq; in nauseam incidens, purgante medicamento, nulla necessitate vrgente, exhibito, ampliùs exsiccetur, pulsuum crebritatem acquirat, in nauseam, immo in inappetentiam incidat, non ne cum magno medicorum dedecore hoc fiet? Videant igitur, qui Hippocraticas leges colunt, præceptum illud, ἀσκεῖν περὶ τὰ νουσήματα δύο ὠφελέειν, ἢ μὴ βλάπτειν, *Si non prosis, saltem quam minime noceas*, an hìc locum habeat. Habet quidem: nam parum est, in quo proficere velimus, multum, in quo nocere possimus. Et tamen medicus, qui quarto loco dixit, & medicamentum dare voluit, hoc pręceptum, nescio qua ratione ductus, in mediũ attulit, quod magis illũ admonet, ne persistat, quàm me, ne desistam; Etenim qui facere aggreditur, magis considerare debet, ne noceat, quàm, qui abstinet.

1. Epid. sect. 2. tex. 50.

Obseruatio.

Anno postea 1631. mense Iulio, nobilis Germanus Florentiæ in variolarum morbũ incidit satis graue, à quo intra paucos dies fuit sanatus. Medicus tamen operę pretium se facturum existimauit si ęgrũ purgaret, iccirco & exhibuit hanc potionem ℞. Mannę, & syrup. ros. solut. an. ℥ j. cũ decocto cordial. additis foliis sen. Et quamuis pharmacum fuit valde benignũ, statim incidit in dysenteriam propter decubitum malignæ, mordacisq; materię, adhuc ex variolis relictę, & intra triduum refrigeratis extremis obyt. Ego vocatus fui pridie ante obitũ, nec iã erat remedio locus.

VARIOLAS AEGRVM POSSE A MORBO prius existente sanare.

Communissima est Hippocratis doctrina (quam seorsim, in libello huic rei dicato, pertracto) morbos alios,

aliorum esse medelam. Si qua verò ægritudo hanc facultatem habet, eam præcipuè variolę habere videntur, vt poteque abundantissimam praui humoris expulsionem secum afferunt: Iccirco medicinam prudenter facientes, nō solùm, in principio variolarum, non purgant, ne motum naturæ impediant, sed nec in fine, existimantes scilicet iam non esse arti locū cum natura, per se ipsam necessitati fecerit satis, Variolarum prouentus, qui in hoc corpore fuit abundantissimus, hęmorrhagia è naribus ter repetita, sudor, vomitus in principio valde copiosus, enemata alternis diebus iniecta, victus tenuis, bis secta vena, potuisse reliqu as prioris morbi extinguere, non est pręter rationem. Quod an præstiterint nullo meliùs modo probare possum, quam Hippocratica probatione *Ostendit autem sanatio*. Nunquid credibile est, priorem causam agitatam variolas, ardentemq; fębrem excitasse, deinde causa eadem remanente effectum penitus abijsse? Quis sanę mentis affirmabit, febrem diceßisse, causam autem febris semel agitatam, adhuc intus permansisse?

FEBRIS, QVAE POST VARIOLAS SVPPVRATAS, *& ferè exsiccatas redijt non fuit recidiua.*

AT dicent recidiua esse potuit. quippe exigua causa superstes mansit, quę per se non erat apta febrem suscitare, suscepit tamen postea augmentum, & calorem præter naturam accendit: propterea ab Hippocrate est dictum, *Quæ relinquuntur in morbis post iudicium, recidiuas facere consueuerunt.* Cæterùm ostendere tenentur, relictum fuisse in corpore morbosum affectum, aut praui humoris seminarium, vt illis recidiuam hanc admittam. Vnde nam hoc ostendent? Nempe ex signis, quæ idemmet Hippocrates in epidemijs scripta reliquit: ea sunt, *Sitis intus relicta, oris exsiccatio, & insuauitas, & innapetentia*. Horum ne symptomatum aliquod visum fuit? Veritatis amatores, qui aderant, precor, & obtestor, vt, quæ viderunt, fideliter narrent. Nulla sitis, nulla de oris insuauitate querimonia, de appetentia autem quid dicam? Nisi nec sano homini præstantiorem contingere. Hoc omnes norunt, neq; mihi in consultatione ita affirmanti fuit, qui contradiceret. Prætereà febris variolarum acuta

a Aph. 12.

6. Epid. sect. 2. tex. 10.

fuit, acutę citò iudicantur, non acutæ autem sunt, vt Galenus vult, quæ reuertentes nuncupantur. 6. Epid. sect. 2. cõ. 21.

FEBRIS ISTA SECVNDARIA FVIT ACCIDENS.

CVm toto corpore pustulæ, circum circa inflammatæ remansissent, quarum materia, vt pote à variolis originem ducens praua erat, non poterant non febrem comitem habere. Erat ergo febris symptoma. Nunquid ephemera? minimè. At putabat ex iis quidam, nouum, & inauditum esse, febrem symptoma eam appellare, quæ in humoribus sedem habet, cui morbi, non symptomatis conuenit definitio. Consueuere medici parùm in arte versati quicquid non secundùm eorum inscitiam dicitur, paradoxum existimare. At tua est paradoxa sententia, mea autem antiparadoxa; Non ne paradoxicè dictum censemus id, quod preter multorum opinionem affirmatur? Ita sanè: audi nunc: tua ista opinio, nimirum febrem, quæ sit accidens, semper esse ephemeram, vnum duntaxat, quod sciam, autorem neotericum habet, nempe Vallesium, qui contra omnes antiquiores est loquutus, & contra quem posteri omnes insurgunt. Febris quidem tam ephemera, quàm humoralis, semper est morbus: iccirco Galenus illos, qui febrem, quę sensibilem alicuius partis affectum sequitur, symptoma esse arbitrantur, reprehendit: Et meritò, nam omnis febris est affectus præter naturam, primò, & per se lædens operationes. Nihilominus idem met alibi, *Febres, inquit, quę ex phlegmone ortum habent, partium veluti symptomata quędam sunt, morbusq; à parte laborante denominationem ferè accipit, vt phrenitis, peripneumonia, pleuritis, & alia*. Sic ille: meritò ergo à morbo, quem febris sequitur, veteres, ab eo relati, *febres phreniticas, peripneumoniacas, & lethargicas appellarunt*, Adeò autem verum est, febrem, quæ hos morbos comitatur, apud antiquos symptomatis loco fuisse habitam, aut referente eodem, *illos duntaxat, qui absq; inflammatione, aut abscessu, aut dolore, vel erysipelate, vel absq, alio membro præcipuè affecto ęgrotabant, febribus dicerent molestari: si autem propter lateris inflammationem, vel pulmonis, vel talis partis alterius febricitabant, non febrientes ipsos nominarent, sed pleuriticos, peripneumoniacos, &*

Lib. diff. morb. c. 5.

1. Ad Glauc. c. 4

6. Epid. sect. quin. com. 29.

4. Aph. 73. & 7. Aph. 42.

alijs similiter nominibus, veluti hepaticos & lienosos. Nec verò isthæc nomenclatura, aliena à ratione est: nam alium morbum sequi, velut vmbra sequitur corpus, proprium est symptomatum, proprium & harum febrium: ideo prudenter Galenus non dixit febrem symptoma, sed velut symptoma, & Dynus, *Febris, ait, semper est morbus, respectu tamen cognitionis nostræ, symptoma dici potest, nam dum scimus, febrem esse symptoma, scimus non omnino ad illam dirigendam esse cognitionem, sed ad morbum, ex quo pendet*: Rogabis, quemnam morbum hæc febris, seu hoc symptoma, aut velut symptoma, sequebatur? morbus erat in figura, aut etiam in continui solutione, nempe vlcera multa composita, hoc est, sordida, & cũ inflammatione. Huius rei tibi signum esse potest, quòd ad vlcerum inflammationem, sorditiemq; febris sequuta fuit, eisdem autem mitescentibus, febris recessit; quòd si interdũ aliquod tuberculum rursus inflammabatur, febris quædam præstò euanescens repullulabat. Nunquam tamen aut ardor, aut sitis, aut aliquod aliud symptoma, consideratione dignum apparuit.

CONCLVSIO.

Quando febris, accedente aliquo morbo, accedit, &, eodem recedente, recedit; non habet rationem morbi, aut causæ morbi, sed symptomatis, ac proindè, licèt in sua essentia sit morbus, nihilominùs symptoma appellatur.

COROLLARIVM.

Cum symptoma tunc duntaxat, cum habet rationem causæ, propriam expostulet curationem, hęc febris (quę, nec causa erat, nec morbi, sed symptomatis rationem subibat) neq; cum aderat, peculiarem prouidentiam requirebat, neq; postquam recessit, poterat quidpiam indicare.

VRINAE ALITER IN AEGROTIS, aliter in sanis considerantur.

MAgnam vim faciunt duo illi medici in vrinarum inspectione, vt, corpus purgatione indigere, ostendant. Sed

quę nam sunt vrinæ? Sanè vt plurimùm (pręsertim eę,quę nocturno tempore minguntur) bonæ,tùm colore,tùm substantia, tum etiam contentis, immo longè præstantiores nunc excernit,quàm ipsemet sanitatis tempore excernere sit solitus. Nam, cum sanus est, humiditas in capite collecta, qua pollet, (vt assiduus ptyalismus ostendit) exercitio liquata, & per vrinarios meatus eiecta, vrinas aquosas reddit; nunc autem flauo tinctas colore, & substantiæ mediocris, cũ hypostasi laudabili. At verò diurno tempore vrinas mingit albas, crassas, confusas. Hanc varietatem damnant,sed frustra: aliter enim in morbis, aliter extra morbos significatio ab vrinis petenda est: exemplum in præsente casu reperies: siquidem vrinæ istę,postquàm subsident, tenuem quandam nubeculam, in summa superficie innatantem, pręseferunt.
2. Prog.35 Hęc in morbis, præcipuè acutis, iuxta Hippocratis sententiam, timenda est: quippe in prognosticis sic ait, *Pinguedines supernatantes, araneorum telis similes, damnandę sunt: indicant enim consumptionem.* Sanitatis verò tempore eadem nube-
4. De tu&d. valet. c. 4. cula optimum signum à Galeno censetur: vbi enim sanguis concoctus est,in vrina nebula quędam desuper tenuis superstat, veluç quod in summo lacte colligitur,(græci γραῦς dicitur) & quod in summo refrigerati iusculi concreuit. Itaq; pars sanguinis, quæ sanorum sanguini adest, per febres euanescit, & tunc si pingue aliquid appareat, non inculpabilis sanguinis, sed colliquationis signum est.

Porrò siquid de vrinarum inconstantia, (quippe interdũ turbidæ, interdum puræ minguntur) ex Hippocratis,Galeni vè scriptis depromunt,considerent oportet,de sanorum nè, an de ægrotantium vrinis loquantur. Scio enim, mutationes vrinarum, apud artis proceres, morborum diuturnitatẽ
4. Acut.51 & 52. significare, & febrium inconstantiam,morborum, inquam, & febrium: cæterùm nos extra morbos, extraq; febres, in statu, si non salubri, saltem neutro, constitutum corpus tractamus. Quid tanti faciunt vrinas, quas Galenus, extra fe-
1. Cris.c.7. brilem affectum, contemnit? Etenim, *In febribus omnibus, quoniam venosi generis sunt passiones (nam arterias in hoc genere comprehendimus) ad vrinas præcipuè attẽdere oportet, in ijs autem qui laterali morbo afficiuntur, primum quidem sputamina, secundo loco vrinas, quoniam si morbus omnino cum febribus iungitur:*

gitur: in passionibus autem ventris, si sine febre fuerint, sola alui excrementa inspicere oportet, si autem cum febre, etiam vrinas.

Quòd si alibi vult, vt vrinas semper simul conspiciamus in ventris affectibus, thoracis, pulmonis, neruorumq;, aduertendum est in primis, hos affectus febrem habere comitem; deinde vrinas ideo in ijs conspici, vt addiscamus, an morbi facta sit epigenesis ab extra venas ad intra. Hoc indicant verba, quę sequuntur: inquit enim, *Nam si bonę appareant, haud magnum prębent monumentum ad salutem, contra praue amplificant simul ęgri periculum.* Sic ille. Nos nullum affectum in præsentia agnoscimus, quem venoso generi communicari posse suspicemur, nisi velis propter phyma illud, & leues excoriationes, quibus confricatio occasionem præbuit, timere, ne ex cute ad vasa fiat palindrome: hanc tamen non sola vrina, sed pulsus etiam, & ęgrotantis inquietudo significaret: quippe absurdum est dicere, praui humoris ad vasa regressum contingere posse sinè febre. 3. Epid. sect. 2. ægr. 9.

VRINAE ISTAE, QVAE PROPONVNTVR, LICET *confusæ sint, non sunt tamen, quę subiugalium dicuntur.*

Videtur illis vrina, quę proponitur, esse ea, quę communiter dicitur τὸ οὖρον ὑποζυγίων, vrina subiugalium, ex qua coniectant cum Galeno, materiæ crassæ prædominium, & statuunt purgatione esse opus. Proh quot in paucis verbis errores latent! In primis, vrina crassa propter agitationem, quę capitis dolorem vel facit, vel faciet, non est nisi in febribus, ita sentit Hippocrates, cuius sententia, ita habet, *Quibus per febres vrinę turbidę veluti iumentorum, bis dolor capitis vel adest, vel aderit.* Si verò cum aliquibus non legas (*per febres*) saltem, cum pluribus, quos Galenus refert, debes hanc sententiam cum priore coniungere, in qua vrinas proponit crassas non sine febre. Meritò quidem in solo affectu febrili vrina crassa ab agitatione supponitur: quippe tanta agitatio absq; febre monstro similis erit. 4. Aph, 70.

Alter error est, pro hypothesi tantā constituere agitationē, vt ex hoc antecedente purgans medicamentū exibendū esse concludant. Quis vnquam in media agitatione purgauit? Certè non Hippocrates, qui in febribus fortibus medicamenta De medic. purgant.

menta purgatoria non admittit, donec remiserit febris. At dices, febris non adest: ita est, & proinde nec agitatio, vrinas turbidas reddens.

Tertius error est, existimare vrinas istas, quas velociter subsidere conspicimus, esse eas, quas Hippocrates vrinas subiugalium appellat, cum potiùs præcipua conditio, quæ vrinas similes subiugalium vrinis facit, sit, vt non subsideant, quas Galenus in commento illius aphorismi esse ait, velut bitumen, picem, resinamq; dissolutam, alibi, easdem musto comparat, *Crassas namq; vrinas* (inquit alio in loco) *non subsidere, frequens est in ijs febribus, in quibus multus calor, & flammeus, feruorem accendit quendam crassorũ, crudorumq; humorũ.*

3. Epid. sect. 1. ægr. 8.
1. Epid. sect. 1. co. 86.

CONCLVSIO.

Vrinæ subiugalium sunt crassæ, non subsidentes, cum febre, à vehemente calore, agente in materia crassa, & cruda factæ. Vrina verò ista citò subsidens, & absq; febre, non dicitur subiugalium.

COROLLARIVM.

Si foret subiugalium, fieret ab agitatione, & ideo malè inferunt, est subiugalium, ergo corpus indiget purgatione. Immo contrarium, videlicet est subiugalium, ergo fit ab agitatione, in qua purgatio nocet, refrigeratio sola conuenit, siue per medicamenta alterantia, siue per sanguinis missionẽ.

PRAEDICTAE VRINAE CRASSAE VITIO *renum sunt factæ.*

NOn vna, sed pluribus inducor rationibus ad credendum, vrinarum, quæ proponuntur, praua contenta vitio renum accumulari. Prima sumitur ex facilitate subsidendi: quemadmodùm enim (vt Galenus optimè animaduertit) in dysenterijs, *Sanguis, qui excernitur, si admistus sit, superiora intestina vlcus occupat, si vero innatat, inferiora:* sic humor crassus, licèt cum vrina mistus (quippe cum fusio quædam sit, facilè miscetur) si citò separetur, significat non

Prima
6. Loc. pacient. c. 2

longe

longe à vesica mistionem fuisse factam, si verò difficulter secedat, è longinquo, hoc est, è venoso genere educi ostendit.

Secunda. Quoniam, post separationem, substantiam mediocrem præsefert. Siquis legerit Hippocratem, de caruncculis, filamentis, & furfuribus cum vrina exeuntibus loquentem, inueniet, ex eo cognosci, has è renibus excerni, quòd simul cum crassa vrina exeunt, cum crassa inquam, hoc est, (vt Galenus exponit) cum mediocri. Nam quando vrina tenuis fuerit, haud secundùm naturam venę se habent: cum verò non tenuis extiterit, sed mediocrem habuerit substantiam (in quo significatu crassam accipere hoc loco oportet.) ea, quæ simul cum tali vrina excernuntur, circa renes, aut vesicam passionem ostendunt. **Secunda** 4. Aph. 76. 77.

Tertia. Quoniam non adest febris: si enim vehemens vexet febris, totum ægrotare corpus fateri cogimur, sin febris absit, solos renes, aut vesicam affici, est existimandum. **Tertia**

Quarta: Quando renum ardore querebatur, adeò vt vigentibus adhuc variolis ad vnctionem cum vnguento refrigerante, desumpto à Galeno, confugere fuerimus coacti. Videtur enim excellens calor potuisse humores ibi existentes dissoluere. **Quarta**

Quinta. Quoniam nebulam telis aranearum similem, cuius vniuersim mentionem fecimus, in præsente peculiariter conspicimus, hæc autem cum non significet colliquamentum totius (tale enim non nisi per ardentes, & valde malignas febres adesse solet) ad colliquatam renum pinguedinem referri debet. **Quinta**

Sexta. Quia non nisi diurno tempore, quo supinus iacet, impuram vrinam excernit, nocturno verò, quo in alterum latus inclinans dormit, purissimam. **Sexta**

CONCLVSIO.

Vrina confusa, quæ citò subsidens, remanet substantiæ mediocris, sine febre, cum renum manifesta intemperie, cum nebula aranearum telis simili, in supino decubitu: non fit vitio humoris intra venas existentis, sed est nephritica.

COROLLARIVM.

Hinc colligo, non rectè ex vrina ista sumi indicationem ad purgandum. Nam si renum nuda sit intemperies, sola expostulat alterantia, si cum materia, vrinarijs mundare oportet: quippe medicamentum purgans ad membrum affectum materiam detrudet, ideo in renum affectibus clysteres magis, quàm pharmaca purgantia laudantur, aut si quando post sanguinis missionem purgare velimus, id lenientibus duntaxat faciendum, nec vltra est procedendum.

QVAMVIS VRINAE CRASSAE VITIO TOTIVS corporis fierent, non adhuc purgationem indicarent.

VErùm quoniam adhuc suæ opinioni pertinaciter hærent, & has vrinas totius corporis cacochymiam indicare mordicùs tenent, ne ego quoq; pertinaciæ reus fiam, id quasi precariò admitto, nō quod sic posse esse existimem, sed vt, etiam si foret, non rectè inde purgationem indicari, demonstrem. Quis nam prauus humor in his vrinis ostenditur? Quidam ex his existimat, corpus istud biliosum (quod picrocholum appellat) si vrinas multa pituita plenas excernat, multum biliosi succi intus asseruare, atq; ita forsan vrinas pituitosas, quasi priuatiuè bilem significare contenderet, non aliter ac vrinæ aquosæ, id est, coloris expertes, humoris biliosi, ipsas tingentis, absentiam significant, qui humor, cum in febre ardente prædominetur si sui specimen in vrina non præbeat, suspicionem occupati ab eo capitis nobis ingerit.

Subtilis isthæc responsio esset, sed non vera, nempe nihil subtilius ignorantia. Ignorat in primis iste, quid picrocholum appellauerit Hippocrates, declarante Galeno. Num quia gracilis est, agilis, & in cogitationibus, actionibusq; velox, picrocholus dicendus est? Alios esse picrocholos, alios biliosos non negat Galenus. Porrhò sunt (vt idem sæpe ex Hippocratis mente repetit) picrocholi, qui amarum sibi cōtrax sunt succum: hoc autem suis proditur signis, vt oris amaritudine, nausea, vomitu bilioso, anxietudine, &, quod

1 De fract. sect. 3 com. 49

attinet

attinet ad mores, morositate. Hæc à præsente corpore absunt, possidet sanè temperiem ad siccitatem, & calorem aliquantulum inclinantem, in aliquibus verò membris humidam ab excrementis.

Videtur mihi iste plus sapere, quàm sapientissimus Hippocrates, nam Hippocrates, *Vbi fauces ęgrotant,* (inquit) *aut tubercula in corpore enascuntur, excrementa inspicere oportet: si enim biliosa fuerint, corpus vna ęgrotat, si autem sanorum similia, tutum est corpus nutrire* Itaq; Magnus Senex solùm abundantiam bilis ex biliosis excrementis agnoscit, iste (quę eius est subtilitas) etiam ex pituitosis. Cæterùm absentiam bilis vrina aquosa significabit, hæc autem *γαλακτώδης*, *lactea* est, nimirum turbida, ab humore albo, qualis est pituita. Non ne istá cruditatem significabit? maximè. At vrinis existentibus crudis, quis vnquam dixit, purgans pharmacum esse exhibendum? 2.Aph.15.

Verumtamen duas huius vrinę conditiones superiùs considerauj, quæ non cruditatem, sed potiùs inceptam significant coctionem: prima est, quòd interpollatim minguntur, dicente Galeno, *Quæ interpollatim minguntur pura in subsidentibus, semicoctum esse morbum, ostendunt.* Altera, quòd citò subsidet, eodem sic affirmante, *Si vero celeris separatio eius à liquido in ea cernitur, sitq; quod subsidet, album, lęue, æquale, iam iam superaturam eos omnes naturam indicat.* Cum igitur incepta sit coctio, videbitur alicui commodum esse, vt purgare incipiamus. Sed toto Cęlo aberrabit: nam etiam ij, qui in principio medicamenta, quę minoratiua vocant, admittunt (quos libens recipio) ea exhibent ante, quàm coctio incipiat, nam ea incipiente cessare omnino conuenit, ne natura ab opere valde necessario distrahatur. Præterea si Hippocrati, & Galeno fides in re medica habenda est, purgationes coctionibus aduersantur, nec oportet veritatem adeò manifestam pluribus rationibus, autoritatibusq; comprobare. 1 Cris c. 8. 4.Sanit. tuend. c.4. 4 Acut.44.

CONCLVSIO.

Neq; in crudorum humorum redondantia, neq; in coctione incepta (quę duo vrina alba, confusa, interpollatim micta, citò subsidens significat) purgans medicamentũ sinè periculo exhiberi potest.

COROLLARIVM.

Hinc addiſcito iſtiuſmodi vrinam, vt ſignum, purgationem impedire, vt cauſam autem, contraindicare. Impedit vt ſignum, quia, ſi cruditatem ſignificat, & ad purgandum coctione indigemus, (quippe concocta medicari, &c.) purgatio cruditate impeditur: præterea cruditas eſt impedimentum, quia (ex Hippocratis, & Galeni ſententia) *non cedit cruda paſſio.* Tandem, eſt impedimentum, quia, vt Oribaſius, notat, potio, quę aluum ſubducat, natura ad vrinam vergente, poterit nihil efficere. Eſt autem, vt cauſa, contraindicans, quoniam vt cauſa, nempe, vt euacuatio quędam eſt, contraindicat euacuationem, eſt quippe euacuatio copioſa, per loca conferentia, & quę, teſte Hippocrate, liberat ab abſceſſu.

1. Aph. 22.

De verit. purg. G. 1. Crit. c 9. & 4. San. tu end. cap. 5.

4. Aph. 74

Iccirco crediderim ego, tumores, qui ad variolas conſequi ſolent, in hoc corpore apparentes, ſubitò euanuiſſe, vti teſticulorum, auris ſiniſtrę, & aliarum partium inflammationes, quę omnes magnam pręſeferebant molem, & vnius noctis ſpacio reſoluebantur, ſolo vno phymate ad ſuppurationē veniente, quod præ maxima humoris quantitate, quæ per vrinas fuit euacuata, non eſt magni momenti. Quis ergo ſanę mentis vtilem euacuationem, quam per vrinas natura molita eſt, per alnum diuerteret? Non ne vna euacuatio alteram, contraindicat, hoc eſt, indicat contrarium alterius, euacuationis? Nam dupliciter contraindicans dicitur, vel quod idem cum indicante indicat, ſed contrario modo, vel quod eius, quod indicatur, contrarium indicat.

IMPVGNATVR RATIO, QVAM REDDEBANT aliqui, cur vrinę eſſent noctu laudabiles, die verò turbidę.

NOn pręteribo cauſam, ad quam iſti vrinarum inconſtantiam referebant, quę ſcilicet, (vti diximus) noctu laudabiles, interdiu turbidę mingebantur. Calor naturalis, dicebant, noctu ad interiora recurrens, coctiones adiuuat, & hinc vrinę noctu concoctæ exeunt, diurno verò tempore redit calor ad externa, quare per eius abſentiam, humores intus exiſtentes permiſcentur, confunduntur. Profectò nunquam

ego

ego legi, inter duos calores ita diuisum imperium esse, vt noctu vigens naturalis concoquat, die verò prædominans præternaturalis confundat: fieret quippe in hunc modum tela quædam Penelopes, quæ nunquam absolueretur. Præterea si humor noctu concoquitur propter caloris recursum ad interna, non tunc, sed postquam finita est coctio, id est, matutino tempore, deberent esse vrinæ concoctæ.

Memini, apud Galenum aliquando istius mutationis vrinarum mentionem fuisse factam, ait enim, *Id sæpissimè euenit, vt aliquis emittens vrinam secunda die inculpabilem, alteram sequenti nocte culpabilem emmittat: deinde rursus inculpabilem, tertia die prima luce, postea vespera culpabilem*. Sic ille: verùm has mutationes, non ad caloris mutationem refert, sed ad humoris diuersitatem, inquiens, *In talibus enim vrinis alius concoctus, deuictusq, à natura, conditus in cóceptaculis humor, alius incoctus apparet*. Hanc alternationem coctionis in materia morbifica significare, dicit alibi, semicoctionem, quoniam, *si mingantur puræ in subsidentibus; semicoctam esse morbum ostendunt*. Iam ergo varietas ista, non ad alternationem caloris, sed ad semicoctionem humoris, cum Galeno tenemur, dicere. 1. Prog. 26 1. Crisea

Quamuis (vt obiter dicam) alternationem istam, quam Hippocrates dicit, diuturniorem, & minùs securum morbū indicare, non ad semicoctionem referam: nam semicoctus humor proximus est, vt fiat coctus, ac subinde citam solutionem, nō autem diuturnitatem, periculumuè, significabit.

Progressus à cruditate ad coctionem, non est interpellatus, sed continuus, & in isto progressu, morbus semicoctus, dicitur. Incipit coctio à nebula, quæ græcè *νεφέλιον* dicitur, deinde pergit ad id, quod in medio innatat, & est appendiculū, græcè *ἐναιώρημα* appellatum, vltimò quando perfecta est coctio contentum in fundo residet, & nuncupatur *ὑπόστασις*. Neq; hoc Galenus ignorauit, qui tamen, nescio quomodò à se ipso discedens, interpellatam, & inceptam simul confundit. Hæc sunt eius verba, *Quæ autem benè coloratæ sunt, & subsidentias habent albas, lęues, æquales, aut nebulas quasdam, aut suspensa similia, omnes vrinas bonitate præcellunt, maximè autē in quibus subsidentia talis fuerit: secundum bonitatis obtinent locum, in quibus suspensa talia sunt: tertium, in quibus nebulæ:*

Hae

Hęc igitur coctionis signa sunt, reliquę verò omnes partim cruditatem, partim perniciem ostendunt. Hæc ille. Quid ergo de interpellatis dicemus, nisi eas, *vel cruditatem, vel perniciem* ostendere, iuxta Hippocratis mentem? Quia coctio illa non perseuerans, non est vera coctio, sed ψευδοπεπασμὸς, ideſt, pseudococtio, nempe, coctio mentita. Nam quoties vera erit coctio, non regredi poterit ad cruditatem: quippe quod semel coctum est, non potest ampliùs incrudari. Hoc autem extra consultationem, vt curiositati satisfaciam, adscribo.

CVTIS EFFLORESCENTIAE, POST VARIOLAS suppurantes, non indicant purgationem.

EXcoriationes in cute, ob fricationem factæ, aliquæ facilè, & leuiter, furunculorum in morem, suppurarunt, aliæ citra suppurationem sunt sanatæ: vnus in fœmore in maiorem molē excreuit furunculus, δοθίην, dothien, dicitur àGaleno, qui mitis quidē est, dum in cute dūtaxat cōstituitur, malignus, dum altè exoritur, sola duritie à phymate distans: phygethlon autē calore simul, & celeritate generationis, ab alijs tuberculis distinguitur. Idem tamen Gal alibi phyma, & phygethlon dicit, esse passiones partium laxarum, quas adenas vocant. Phyma, quod statim augetur, atq; ad suppurationem festinat phygethlon vocat id, quod Erysipelas particeps inflammationis, aut inflāmatio erysipelatodes nominatur. Verùm in omni parte corporis humor inflammatorius extuberans phyma communiter appellari solet, nempe, vt notat Philotheus per metaphoram sumptam (Galeno cōsentiente) *ἀπὸ τῶν τῇ γῇ φυομένων, Ab ijs, quę è terra progerminant.* Porrò phyma in phlegmonica systrophe continetur, estq; vnum ex his, quæ celeriter nascuntur, & augentur, & ad suppurationem perducuntur, quæ conditiones cum huic tuberculo in fæmore enato adsint, meritò phymatis nomine illud appello.

[Margin: De tum. præt. nat. c. 15. — 2. Ad Glauc. c. 2 — 3 Aph. — 6. Epid. sect. 1. cō. 11.]

Quando cutis est sana, si in ea efflorescentiæ appareant, id fieri propter cacochymiam, molestata natura, & se se ad illud commune emunctorium (sic cutis appellari solet, vt pote quæ inter loca ad euacuationes conferentia recensetur à Galeno) exonerante, vel sponte, vel ab exercitio stimulata: ab

[Margin: 1. Aph. 21.]

exer-

exercitio enim in corpore impuro, teste Hippocrate, vlcera erumpunt. At verò, quando cutis iam prius bullas, aut pustulas patiebatur, si aliquæ suppurent, non id ad humoris transmissionem referendum est: sufficit enim, quòd alimẽtum, partes vlceratas nutriturum, ad eas accedens, & intemperie, putredineq; affectas reperiens, in eandem abeat corruptelam: quippe nutrimentum parti, quæ nutitur, simile euadit, caro autem illa, tabe infecta non potest sanæ carni nutrimentum assimilare.

6 Epid. sect. 5. tex. 34.

CONCLVSIO.

Postulæ post variolas pullulantes corruptelæ partium affectarum, non autem vitio totius corporis tribuendæ sunt, sanguisq; inculpatus ad particulas corruptione affectas accedens, similem concipit corruptionem.

COROLLARIVM.

Affectus cutis, qui vitio totius non fit, non indicat prouidentiam totius, ac proinde solis topicis medicamentis vnicuiq; particulæ affectæ adhibitis, non autem purgantibus exhibitis, tutò curatur, ne purgationis vi introrsum trahantur.

PVSTVLAE, ETIAMSI TRANSMISSIONE *à venis ad cutem fiant, non indigent purgatione.*

IAm constare arbitror, suppuratas bullas, nõ cacochymię esse sobolem, sed propter priores pustulas euenire. Vt hinc non indicanda sit necessitas subducendi aluum. Si verò, solita peruicacia, isti teneant, hos furunculos à cacochymia, non autem partium affectarum vitio fuisse enatos, dicant mihi, num post eorum prouentum, suppurationemq; remaneat adhuc aliquis prauus humor in corpore, an totus fuerit euacuatus? Remanet, respondebunt, vt suum illud pharmacum exibeant: sed id quibus nam ostendent signis? Quærant in tanta multitudine signorum, quibus ars nostra abundat, in omnibus interclusum reperient iter, nulla pathognomonica, nulla epiphenomena, nulla epigenomena

signa.

signa, nihil est, quod, purum esse corpus, non conclamet. Si verò dixerint, licèt nulla intus sit cacochymia, nihilominùs cutis affectum euacuationem postulare, sciant, se Hippocrati contradicere, qui *in tuberculis* purgare vetat. Et hoc quidem secundùm rationem: Nam, quemadmodùm abscessus per effluxum liberat ab abscessu per decubitum, ita etiam è contrario abscessus per decubitum, si copiosus sit, liberat ab abscessu per effluxum. Abscessum per effluxum euacuationes appellant medici, per decubitum autem, tumores. Vt verò cognoscamus, an hic, aut ille abscessus euacuatio sufficiens sit, ad Hippocratis mensuram recurrendum est, qui cōsiderat in omni euacuatione conferentiam ex parte morbi, & tolerantiam ex parte ægrotantis. Conferunt isti furunculi, quia patiens sine febre, sine siti, sine inappetentia, aut oris amaritudine manet: leuiter tolerantur, quia nulla inde imbecillitas remanet.

Lib. de purg. vetat.

1. Aph. 2. & alibi.

Vnum tamen non obiecerunt, quod doctior quispiā obijceret, nempe, nec variolas, neq; qui post illas furunculi suppurarunt, coctionis notas præcedentes habuisse, propterea nulli istarum euacuationum, nec subinde sanitati per eas cōsequutæ fidem habendam esse: quippe (vt Galenus admonet) *Quando aliquis incipit morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia casus earum, quæ prȩter naturam sunt in corpore dispositionum. Quo enim tempore à causis morbum facientibus natura grauatur, adest tamen cruditas humorum, tunc aliquid benè euacuari est impossibile; siquidē oportet coctionem prȩire, subsequi vero discretionem, & postea euacuationem, vt bona sit crisis*. Cum igitur neq; ante variolas, neq; post, fuerit visa vrina, quæ perfectæ coctionis notas prȩseferret, quid ex materia cruda, & inconcocta, nisi prauū possumus sperare?

4. Aph. 22.

Respondere possem, vrinas in huius morbi decursu fuisse optimas, quas ego aliquando ideam perfectarum vrinarum appellaui. Negabunt forsan, more solito, & ego more solito, ne disputationi via intercludatur, eis coctionem nunquā fuisse visam. quod falsum est, tanquàm verum admittam. Nunquid quia sanitas sine prȩcedentibus signis coctionis accessit spernenda est? Assentient dogmate illo Galenico fulciti. Aduertant tamen medicinam facientes, hoc dogma verum

verum quidem esse, non tamen perpetuæ veritatis: occurrent enim multoties ægri, quibus fida superuenit salus, nulla præcedente coctionis nota. Hoc non recipient illi, quos Galenus doctores ex libro appellat, recipit tamen Galenus ipse, & multo ante Galenum expertissimus Hippocrates, apud quem Metonis historia extat, cui *Die quinto è dextera nare affatim profluxit merus sanguis, sudauit, iudicatus est. A iudicio insomnis erat, delirauit: vrinę tenues, & subnigræ,* neq; vnquam, in huius ægroti historia, coctionis fit mentio, quod obseruans Galenus, sic ait, *Quod verò in exitu totius narrationis scripsit (In hoc non erat recidiua, sed crebro sanguis, etiam post iudicium erupit) eò est dictum, quod absq; vrinarum coctione esset iudicatus. Didicistis autem hoc ipso in libro, coctiones celeritatem iudicij, & certam promittere sanitatem, at cruda, & inconcocta in malos abscessus deflectere, aut in acrisias, aut labores, aut interitus, aut diuturnitates, aut recidiuas. Atqui cruda adhuc erant, & inconcocta, non tamen in malos abscessus conuersa fuerunt.* Hæc ille, quæ pręsenti casui aptare rectè possumus: siquidem materia quidem cruda fuit, non tamen in malos abscessus, sed benignos, & sanatu faciles conuersa. Huius Metonis, (vt pote qui nobis rei maximè necessarię exemplũ prębet) meminit alibi Galenus idem, inquiens, *Verum quid pręter opinionem, & quod occurrere non valde soleat, ipsi accidit. Quinta enim die sanguine è naribus effuso, & sudore excluso perfectè iudicatus est.* Ex his Galeni verbis, aliquis occasionem sumet dicendi, si præter opinionem hoc accidit, non doctrinam, sed admirationem gignet. Memor tamen sit, hinc nullum faciendi, sed cognoscendi præceptum accipi. Fateor ego ad faciendum, pręcepta debere esse sumpta ex ijs, quæ frequenter in vsu sunt: ad cognoscendum, aliter res habet; Etenim vt sciamus, possibile esse aliquid, satis est si semel acciderit. Porrho iudicium perfectum sine coctione contigit pręter opinionem, sed tamen contigit. Vt confundantur ij, qui impossibile id esse censent. Neq; verò hoc semel contigit, sed pluries, vt agnoscet is, qui Hippocratis historias percurret. Nolo in his euoluendis fatigari, Cleanactidem tamen, qui proximus ante Metonem mihi occurrit, non silebo. Hic post plures febrium reuersiones octogesima die rigore, & febre acuta fuit correptus, multum sudauit, vrinis

1. Epid. sect. 3. tex. 24. ægr. 7.

1. De dif. ficult. respir. c. 10

1 Epid. sect 3. ęgr. 6.

subsidentia rubra, leuis, perfectè iudicatus est. Num subsidentia rubra perfectæ coctionis est index? non, immo longitudinem morbi significat, hoc est, materiam adhuc rudem, & tamen cum hac perfectè iudicatus est.

CONCLVSIO.

Excretiones ad cutem, siue per variolas, siue per pustulas secundò pullulantes, vbi præcessit hemorrhagia è naribus ter repetita, & sudor aliquis, potest (etiam non præcedentibus signis coctionis) morbum perfectè iudicare, quod ostēdit conferentia, & tolerantia,

COROLLARIVM.

1. Aph. 20. lib. de hum. ante medium. Cum integra, atq; perfecta facta sit iudicatio, Hippocratis decreto standum est: videlicet, *Quę iudicantur, & iudicata sunt integrè, neq: mouere, neq; nouare, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere.* Si verò neq; integram, neq; perfectam istam iudicationem, morbiq; solutionem, esse admittunt, oportet, vt vnde nam ita colligant, nobis declarent. Respondent, ex relicta gracilitate: quippe à cibo assumpto non reficitur. Ad hoc quoq; respondebo, vt nulla maneat nubes, quę veritatis claritatem obscuret.

NVM A GRACILITATE RECTE CONFICIAtur argumentum, ad probandam purgationis necessitatem.

VTraq; opinio sibi ex gracilitate assumit fundamentum. Qui purgandi necessitatem negant, extenuatos purgatione lædi, affirmant. Qui purgans pharmacum necessarium esse contendunt, ad gracilitatis causam recurrunt, eam esse existimantes obstructiones internas, quas duplice coniectura explorant. Prima, quia credibile est, tertianam, quam ab hinc plures menses est passus, corpus obstructionibus affectum reliquisse. Hæc tamen coniectura inefficax est: quippe ille, neq; decolor mansit, neq; ambulando defatigabatur, non flatibus, aut aliquo hypochondriaco affectu tenebatur, neq; de aliquo malo ex ijs, quæ oppilata corpora comitari

solent,

solent, querebatur. Pungi se dicebat ab stragulis, neq; omnino sibi sanus videbatur. Hæc autem mala, etiamsi absit obstructio, adesse possunt.

Altera coniectura, quia nunc, cum sit à febre liber, non satis nutritur, vnde colligunt viscerum, venarumq; obstructiones impedimento esse, ne alimentum per membra distribuatur. Iccirco rectè ab Hippocrate existimant esse dictum, *Siquis à morbo cibum assumens non corroboratur, plure alimento corpus vti significatur: quòd si non assumenti cibum, hoc accidat, scire oportet, quod indiget euacuatione.* Miror tamen, quòd hunc aphorismum, pro se citauerit medicus, qui alios aphorismos solet grecè recitare. Vnde suspicor quasdam sententias memoriæ mandasse, vt appareat hominibus græcizans, cum nihil minus, quàm grecorum vocabulorum, (prout ad medicam auscultationem pertinent) vim, & energiam intelligat. Duo in hoc aphorismo vocabula veniunt consideranda, primū à Galeno accipimus: quippe τροφὴν λαμβάνων, ad eos refert, qui appetunt, & comedunt vsq; ad satietatem, quare μὴ λαμβάνειν, dici existimat *de ijs, qui neq; quod satis est, possunt assumere.* Iccirco, iuxta hunc aphorismum, supponendum esset, corpus istud, de quo agimus, non appetere cibos, ac proinde non refici: quia inappetentia, (vt admonet Galenus ibidem) ob vitiosos humores contentos aduenit. Attamen hæc hypothesis est falsa: quippe (vti priùs narraui) appetentia est optima. Sed quoniam poterit iste Galeno non acquiescere, & forsitan impudenter id facere audebit, qui non minore impudentia gloriabatur, se græcum magistrum, valde græcanico sermone imbutum, literam ν non esse proferendā ita, sed eta, docuisse, quod tamen nō est credibile, magistrum illum ignorasse, siquidem lippis, & tonsoribus patet. Reuertor igitur ad susceptum iter. Vis ne aphorismum preter Galeni interpretationem tuo modo interpretari, quasi Hippocratis mens sit, siquis à morbo non reficitur, signum esse, eum plus, quàm satis est cibum sumere? Si verò cibum, plus, quàm satis est, non assumit, purgatione indigere? Hanc etiam tibi interpretationem admittam: dummodò tu priùs rectè cōsideres, an patiens cibum, plus, quàm satis est, assumat. Video te, & tuę opinionis sequacem, quorum vterq; strictè nimis soletis victum alijs ægrotantibus

2. Aph. 8.

præscribere, cum hoc liberaliter agere: num vt ex satietate necessitas purgandi appareat? Apage iam, hoc ignorantiæ limites transcenderet, & malignitatem saperet. Pergo tamen vlterius. Sit ita, & conualescens à morbo, cuius causam agimus, cibum moderatè accipiat: restat nunc videre, an sit verum, eum non corroborari. Hoc, inquies, manifestum est, quia valde est extenuatus. At longè differt, debilis ne, an gracilis aliquis sit: multum interest inter imbecillitatem, & tenuitatem: potest crassus esse imbecillus, gracilis verò robustus. Interim intellige, corpus hoc à cibo corroborari: quippe è lecto surrexit, & nisi obstaret phyma, quotidie surgeret, ita vt animalis vis admodùm constet. Consule pulsum, & vitalem robustam inuenies. Si verò non ita breuiter incrassatur, hoc, vt sic fiat, magis precor, quàm deprecor, etenim extenuata corpora longo tempore, hoc est, sensim, sunt ad crassiorem habitum reducenda. Itaq; μὴ ἰσχύειν non significat non incrassari, sed non refici, non vires assumere.

Iam ergo tibi aphorismus nequaquam fauet, ratio autem multo minùs. Contendis, in hoc corpore obstructiones esse: liberalis sum, admitto, sicut pleraq; superiùs, magis, vt te vndiq; comprehenderem, quàm quòd vera sint, admisi. Num ex eo, quòd adsunt obstructiones, infers purgatione esse opus? Galenicæ doctrinæ (vtinam verè) te admiratorem profiteris, Galenum audi sic loquentem, *In instrumentali verò morbo, qui est obstructio, contrarium ei est græcè ecphraxis, quam reculsionem, puto, dixeris:* & alibi, *est vero obstructio ex eodem genere ægritudinum, quæ quidem ex lentis, & crassis humoribus fit, vnam & ipsa habens intentionem, morbo contrariam, dico, apertionem*. Itaq; à magno artis procere Galeno libet addiscere, obstructioni deberi apertionem. Quorsum ergò ex obstructione colligis purgationem? Nempe, vt dixisti, quia obstructionem aperire ante, quàm corpus purgetur, Galeni doctrinæ aduersatur. Galenus enim sic ait, *Ostensum enim in prioribus libris est, si ijs auxilijs, quæ obstructionem eximant, vti non vacuata prius abundantia velimus, fore vt non modo nihil proficiamus, sed affectum maiorem reddamus, pugnantibus scilicet inter se indicationibus. At si vacuata prius multitudine ad curandam obstructionē accedamus, medicamentis ijs, quæ obstru-*

ctiones

Lib. 11. met. c. 13

Art. med. c. 94.

Lib. 11. met. c. 10.

ctiones expediant, erit opus. Ita Galenus, quem ille, qui priore loco dixit, de sanguinis missione, non depurgatione loquutum fuisse rectè est interpretatus: consideranda namq; sunt verba, *Euacuata abundantia, euacuata multitudine*, quod sanè venæ sectione fit, non autem medicamento purgante. Porrò Galenus ibi sanguinis missione priùs vtendum duxit, quàm ad obstructiones aperiendas accedamus. Potest hoc corroborari, si animaduertamus verba illa, *Pugnantibus inter sè indicationibus*, quæ forsan hactenus non intellexisti. Sed vt intelligas, scito, ab obstructione sumi indicationem aperiendi, à multitudine autem euacuandi. Si ergo priùs aperies, multitudinem augebis, nam apertione meatuum, caloris naturalis perfectiori actioni, & subinde copiosiori sanguificationi occasio datur. Itaq; si priùs, quàm sanguinem mittas, relicta in corpore multitudine, obstructionem aperias, multitudo augebitur, ex aucta multitudine augebitur obstructio. Iam ergo tibi patere arbitror, quomodò ex eo, quòd deobstruamus ante, quàm sanguinem mittamus, pugnantes inter se oriuntur indicationes.

Sed quid tempus in re manifesta consumo? Affirmare audeo, te verba Galeni, quę citasti, apud Galenum non vidisse, sed ab aliquo accepisse: nam si totum illud caput, (quod quidem breuissimum est) legisses, vtiq; sententiam mutasses: quippe statim post illam, quam recitasti, sententiam, sic scriptum reliquit: *Itaq; ÿs, quę citra calorem* (loquebatur de obstructionibus cum febre) *liberare obstructiones valeant, vtemur: vbi autem qua obstruunt detersa, dissectaq; sunt, per aluum, vrinas, & sudorem ea vacuare tentandum*. Vides ne, quomodò ante euacuationem per aluum, aut per alias vias, iubet vti deobstruentibus, nempe ijs, quæ detergunt, & incidunt? Dices fortasse, detergere, & incidere dixisse, non autem aperire. Non credo, te hoc dicturum, quoniam intolerabilis esset ineptia: quippe non aliter obstructiones aperiuntur, quã crassos, lentosq; humores detergendo, & incidendo. Cęterùm huic etiam ineptię satisfacere volo ex Galeno: cum enim aliquando Hippocrates dixisset, oportere vt corpora, antequàm purgentur, fluida faciamus, ille in commento, quid sit corpora fluida facere, sic explicat: *Siquis extenuet, & incidat crassos, atq; tenaces humores, qui in corpore sunt, & mea-* 2.Aphis.

tus

tus aperiat per quos isti transmittuntur, atq; trahuntur à medicamentis, quę vim purgatoriam habent, tunc purgatio rectè in omnibus procedit.

Nec verò putandum est, Galenum vnquam, non apertis priùs meatibus, ad purgandum accessisse, qui etiam in materia turgente, quam Hippocrates *eadem die*, hoc est, nulla interposita mora, purgandum esse censet, in hac, inquam, materia, in qua tardare perniciosum est, desiderabat occasionē habere propinandi melicratum, in quo decoctum sit aliquid hyssopi, vel origani, vel tragorigani, vel thymi, vel pulegij, siue quid huiusmodi, vim habens humores attenuādi. Quòd si in turgentibus hoc faciendum duxit, quantò magis in obstruentibus? Sed quid plura? Non ne iam diu durante adhuc febre oxymel exhibendum clamabas? At oxymel detergendi, & incidendi vim habere, Galenus pluries dixit, quàm vt hic referre queam.

4 Aph. 10. · 3. Aph. 24.

ἐπίλογος.

Magnum remedium est illud, quod sicut magnā vtilitatem, si eo debitè vtamur, ita, si indebitè, ingens damnū afferre potest. Duo duntaxat Galenus, remedia magna esse ait, purgans pharmacum, & venæ sectionem: hoc securissimum est, illud non valde tutum. Nam (vt ille optimè animaduertit) quod semel in ventrē deuoratum est medicamentū, quominùs omne deuoratum sit, fieri non potest: neq; possibile est, vbi plusquàm conueniat, iā purgetur homo, partem oblati auferre. At in sanguinis missione summum id bonum est, euacuationē, dum voles, posse sistere, ac rursum quo viden-

6. Aph. 29. · De sang. miss. c. 12.

tur

tur tempore fluere ſinere, quo ad vſq; rectè habere appareat. *Cumq; pharmaci exhibitio corrigi poſteà nequeat, ante quàm exhibeatur, magna conſideratione opus habet, & Hippocraticæ admonitioni eſt locus,* μηδὲν εἰκῆ μηδὲν ὑπερορᾶν, nihil temerè, nihil contemnere. *Porrò in conſul-* 6. Epid. ſect. 2. cõ. 25. *tationibus proteruus quidem eſt, qui in paruis non aſſentitur, impius autem, qui in magnis contra propriam mentem, quaſi diſputando defatigatus acquieſcit, vt nemo ſit, qui vitio vertat in re magni momenti, qualis purgatio eſt, tenacitatẽ opinionum. Neq; verò artis medicæ decorem longa diſputatio derogat, quippe coniecturalis eſt; nec infallibilem habet aßenſum, quam calamitatem in alijs etiam artibus, atq; ſcientijs, ſubit noſter intellectus. Cæterùm in tota curatione, quiſquilias parui faciebam, ſolùm interdum non poteram me cõtinere, quin cuiuſdam ineptias clam cum amico conferens non riderem, vti quando euacuatas à natura eße dixit partes craßiores; reſtare tenues. Quando etiam inclinante febre, die vndecima, febre ſcilicet, quam Omotonam appellauerat, morbum in declinatione particulari conſtitutum eße pronunciauit. Omitto, quòd*

in

in hac febre, dies decretorios, per paroxyſmos numerabat, more vulgi, quod, an febris hodierna ſit alia ab externa, ſolet ignorãter quærere. Ad vlcuſcula in ore naſcentia, ſyrupum de pomis, ore retentum laudauit, & remedium, dixit, eſſe à ſe multoties expertum. Cætera de genere hoc, (adeò ſunt multa) loquacem delaſſare valent. Multa adſtãtibus ad aurem inſuſurrabat, ſed quæ nam? Meras nugas, aliquando etiam (vt pote qui non ſolùm ἰδιώτης, ſed ſimul etiam κακόθυμος eſt) meras calumnias: nam ea, ad quæ ego interrogatus reſpondebam, ille in publico carpere non auſus, priuatim damnabat. Rogauit me ægrotans, an liceret in fine paſtus hauſtu aquæ os colluere, laudaui, vt reliquiæ alimenti, quæ in dentium interſtitijs remanentes, halitum vitiant, auferantur, & vaporum ad caput aſcenſus prohibeatur: iſte autem veromaſtyx, furtim contradixit. Sed næ ego imprudenter ago, qui iuſtum mihi aduerſarium facio eum, quicum pudeat diſputare.



VTRVM

VTRVM INTER SANITATEM, & morbum detur medium.





Vlla quęstio est, ex qua, meo quidem iudicio, authores faciliùs se expediant, & in qua magis cæcutiant, quàm isthæc: quippe in ea videtur veritatem non tam inquirere, quàm dissimulare. Expediunt se, dicentes, philosophos perscutãtes naturam rei nullum mediũ inter sanitatem, & ægritudinem reperire, quod tamen medici, sensum consulentes, inueniunt: quasi verò non sit semper vna, & eadem veritas, sed varia pro scholarum varietate. Deinde natura rei non est diuersa in sensu à se ipsa in intellectu: sensus enim non decipitur circa proprium sensibile: si autem medium ostenderet, vbi medium non est, deceptio quædam foret circa propria sensibilia, nempe circa qualitates tangibiles. Tandem sanitas, & morbus suapte natura pertinent ad sensum: ad eundem ergo pertinet neutralitas, quę nihil aliud est, quàm vtriusq; participatio. Quare idem est considerare ęgritudinem, sanitatem, & neutralitatem iuxta naturam suam, & iuxta iudicium sensus.

Pręterea inquiunt, sanitatem à philosophis constitui in punctos, à medicis in latitudine. Ego verò ex parte philosophorum inuenio Aristotelem agnoscentem latitudinem sanitatis, quippe inter homines vnum alio saniorem esse ait: ę contrario ex parte medicorum sese mihi offert Galenus, qui cum morbum constituat in puncto, sanitatem quoq; iure cõtrariorum, in puncto debet cõstituere. Quòd autem morbus apud eum consistat in indiuisibili, patet: nam rem permanẽtem esse, ait, quę statim in suo exortu totam suam simul habet essentiam, & quemadmodùm quælibet aquæ gutta est aqua, & quęlibet ignis scintilla est ignis, sic quilibet, quantumuis exiguus morbus, est morbus. Ad hoc respondent communiter omnes, Galenum tunc philosophicè, non medicè fuisse loquutum. Fatuus sanè esset vir medicus, si in opere medico

(de locis affectis) nō medicè loqueretur. Quid plura? Non ne idem ipse in opere de temperamentis docens nos cognoscere sanitatis latitudinem, eius terminum esse dicit, cū primùm operationes manifestè apparent læsæ? At læsio nulla est, nisi quę manifestè apparet: quis enim manifestat operationem? nempe sensus: operationis item læsionem, sensus. Sensibilis ergo est operatio, sensibilis eius lęsio: si vtraq; suapte natura sensibilis, vtraq; suapte natura manifesta: quapropter cū primùm lęsio existit, & sentitur, & est manifesta. Cumq; hic sit terminus latitudinis sanitatis, & simul primus morbi exortus, nullus est locus intermedius, qui statum neutrum possit capere.

Tandem Aristotilem nobis afferunt, qui nō semel negauit medium inter sanitatem, & ęgritudinem. Desinant tamen obstinare, neq; adhęreant Aristoteli, legislatorum more dogma istud sancienti: imò potiùs ex ipsius doctrina contrariū dogma eliciant. Aristoteles nos docet, non omnes relationes intendi, & remitti, hoc autem accidit pro ratione fundamentorum, quæ intendi, & remitti possunt, vt relatio similitudinis inter duas albedines: cum enim altera similitudinis ratio, hoc est altera albedinum, intendatur, aut remittatur, relatio remittitur: si rursus albedo redeat ad paritatem, intenditur. Cum ergo ex hypothesi sanitas, & morbus sint de genere qualitatum, quę intendi, & remitti possunt, vt pote quæ latitudinem habent, intendantur, & remittantur: hoc quis fieri posse negabit? Igitur in hac intensione, & remissione medium necessariò dari debet. E. g. sit tota sanitatis latitudo, vt octo: sit morbi quoq;, vt octo. Accipiamus corpus perfectè sanum, nempe vt octo: introducatur morbus, & intendatur ad quatuor gradus: totidem deperdentur sanitatis, eritq; corpus in medio constitutum,

Sed dicetis, intra quatuor gradus sanitatis adhuc sanitas est in sua latitudine, ergo sanum, non neutrum, Sed ego respōdebo, morbum etiam esse intra suam latitudinem, quatuor nimirum graduum, & sic non magis potest denominari sanum, quàm ęgrum: duas autem denominationes contrarias habere nequit, habebit ergo neutram, atq; hinc medius status & naturam, & nomen accepit.

Reuertor ad Galenum, cuius, in hac re, inconstantia est admira-

mirabilis: nam & neutrum respuit, & neutrum recipit, & de neutro ambiguus est. Respuit: quoniam superiùs in hoc libro, corpora animalium magis, & minùs admittere, ait, tantamq; in ipsis esse varietatem, vt alia quidem optimi sint habitus, alia simpliciter boni, non tamen optimi: alia, quæ etsi sana dicantur, non tamen sunt boni habitus: quædam verò minùs valeant, quædam autem ægrotent; Hæc exprofesso protulit, nihil interim solicitus de statu neutrorum. cap.8

Deinde (vt vidistis) morbus, statim ac oritur, omnes suas partes habet: & alibi, principium morbi accipi pro primo insulto, qui indiuisibilis est, inquit. Si ergo primus insultus indiuisibilis est, accipit quidem corpus sanum: si enim neutrum esset, iam alicuius morbi esset particeps, & sic insultus ille non diceretur primus. 1.crif.

Prætereà cum Plato medium inter sanum, & ęgrum non admittat, & Aristoteles Platoni assentiatur, cum rursus Galenus his duobus proceribus inter se cōsentientibus nunquam contradicere sit ausus, credibile est, illum vtrisq; se tertium opinionis socium adiunxisse. Iam igitur patet, Galenum à neutralitate fuisse alienum.

Quòd autem neutrum statum recipiat, non leuia extant argumenta: imò id in libro de salubri arte ad Thrasybulum expressè significauit his verbis: *Curatiua sanè pars, quod magna vitia, tuechice autem, atq: salubris, quod parua discutiat, id quoq; perspicuum est: in medio verò ambarum inter sitio instauratiua nominata, atq: præseruatoria posita sunt, si ad salubrem, tuechicenq; comparentur, non exigua vitia emendantes: si ad curatiuam, non magna. Propterea & quicumq; ambas has partes neutras appellauerunt, haud malè mihi sensisse visi sunt.* cap.10

Sed multò efficaciùs id ostendi potest ex arte medicinali, vbi medicinam definiens ait, *Est s. : unt. a salub: ium, insalubriū, neutrorum*, & differentias omnes neutrorum prosequitur.

Idem etiam in libro de optima secta, *Quę supprimuntur*, inquit, *aut noxia sunt, aut vtilia, aut neutra*; & libro de tumoribus præter naturam, tertiam quandam constitutionem, quam dicit esse mediam inter corpora, quæ se habent secundùm naturam, & ea, quæ se habent præter naturam. Et de sympt. diff. *Omne, quod est, siue id sanum sit, siue ægrum, siue neutrū*: & 6. sanit. tuendæ de podagricis agens, ea corpora, dicit, cap.17 cap.1 cap.1 cap.11

esse media inter sana,& ægrota : & de const. art. *Potest id ex*
cap 19 *symptomatibus quibusdam intelligi,quæ medium inter ea , quæ in sanis reperiuntur,& ea,quę ęgris eueniunt,locum seruant* . Atq; ita satis,superq; videmur monstrasse, Galenum statum neutrum recepisse.

cap.4 Superest adhuc ostendere,eundem fuisse in hoc statu ambiguum . Quinto de sanit.tuend artis partem , quæ senilem ætatem gubernat,gerocomicem appellat : eam , quæ conualescentibus præest , analipticam , ac si dicamus refectricem : tunc addit, *Videnturq; hi ambo affectus non esse planè sanitas,sed vel morbi, & sanitatis affectus quidam medij,vel omnino eius sanitatis non esse,quę firma, constansq; sit, quam καθ' ἕξιν appellant, sed potius, quę fallax,incertaq; sit,quam isti κατὰ σχέσιν nominant*. Ecce dubitat, an senes , & conualescentes sint appellandi neutri , an potiùs sani,non quidem sanitate ad habitum,quę optima est, sed sanitate ad effectum,quę fallax,debilisq; censetur.

Sed, quod magis mirandum est, leuissimos appellat homines, qui huiusmodi quæstionibus intricantur,cum tamen
cap.4 ipse nō minùs leuem quęstionem tractauerit in libro, quem scripsit ad Trasybulum , vtrùm scilicet ars tuendæ sanitatis pertineat ad medicum , an ad gymnastam.

Sed qui sunt isti leuissimi homines? nempe Herohilei,discipuli Herophili Chalcedonij,quem ipse summis laudibus extollit non semel,& à quo, vt ipse fatetur in libro de subfiguratione empirica,definitionem accepit, qua dicitur,*Scientia salubrium,insalubrium , neutrorum* . Immeritò igitur tanti viri sectatores leuissimos homines appellat,& ab eo recipere veretur corporum neutralitatem.

Huiusmodi tandem nęnijs relictis,ad propositę quęstionis decisionem accedamus. Inuenio apud Galenum mediocri-
cap 85 tatis terminum in aere esse,vt corpus in eo,neq; horreat propter frigus,neq; sudet propter æstum, & quamuis horror ibi non accipiatur pro corporis concussione,satis est (cum eodem in lib.de rigor.tremor.& palpitatione) in sanis,horroris nomine intelligi dolorosam omnem refrigerationem. Si igitur inter duo adeò inter se distantia extrema mediocritas includitur,profectò in amplissimo hoc spatio datur aer, qui vix sentitur,vt contingit dari verno tempore, datur & qui

sentitur aliquantulum, ita vt, qui non sentitur, respondeat sanitati καθ' ἕξιν, hoc est in habitu: qui interdum modicè sentitur, sanitati κατὰ σχέσιν, hoc est in affectu: qui verò non parùm sentitur, nec tamen accedit ad horrorem, & sudorem, respõdeat statui neutro. Atq; hac comparatione videtur satis declarata neutrius natura, & conditio. Videtur etiam soluta difficultas, quam nobis ingerebat latitudo sanitatis, quamuis remaneat leuis quidam scrupulus, qui facilè extirpatur. Nẽpe si morbus (vt diximus) statim secundùm totam suam essentiam exoritur, & primum insultum habet indiuisibilem, cui etiam respondere sanitas debet, qui fieri potest, vt in his latitudinem agnoscamus? Respondemus, non esse inconueniens generari aliquid in instante, perfici in tempore. Exemplum vobis sit lux, quæ in instante aerem illuminat, sed paulatim fit maior.

Imò verò subtiliter possumus hoc argumentũ retorquere in aduersarios; Nam si morbus incipit in instante, finitur in istante: quippe ea, quæ incipiunt per primum sui esse, desinunt per vltimum sui esse: sanitas etiam incipit in instante, sed inter duo instantia datur tempus, ergo inter morbum, & sanitatem medium est neutralitatis tempus. Argumentum itaq; probat, dari necessariò tempus intermedium. Siquis autem dicat, tempus istud posse esse exiguum, ac subinde medico non considerabile, respondebo, satis esse, quòd constet de necessitate tẽporis intermedij, longitudo autem, aut breuitas eius debetur facili, aut difficili introductioni dispositionum, quæ ad sanitatem inducendam requiruntur. Vnde colligitur, statum conualescentiæ & esse neutrum, & esse necessarium.

Sed ad excludendam conualescentiam ab statu neutralitatis, poterit aliquis sic argumentari. Siquis resurgat à morbo per crisim perfectam, præcedentibus signis coctionis, & subsequente euacuatione integra, hic sanus censendus est: nam tunc (sic iubente Hippocrate) nihil conuenit mouere, nihil nouare, siuè medicamentis, siuè aliter irritando, sed sinere. Si verò liberetur à morbo per crisim imperfectam, remanebit in corpore aliquod residuum causæ morbificæ, quod ostendunt symptomata; sitis intus relicta, oris insuauitas, & innappetentia: quare vbi est causa morbi, ad quam

morbus

morbus sequatur, vbi ad sunt symptomata,quę ad morbum consequuntur,adest morbus: quare è morbo resurgens vel est iam sanus,vel adhuc ægrotans,non autem neuter.

Soluitur hoc dilemma quoad vtramq; partem: nam qui perfectè fuit liberatus, tametsi non ampliùs luctatur cum morbo,at certè cum debilitate virium rem habet,ac proinde non conseruatrice artis parte,quę sanis debetur, ei opus est, sed aneleptica,hoc est, refectoria. Ille verò, qui imperfectè fuit euacuatus,licèt causę morbificæ aliquam partem in se habeat,tamen non tanta est, quę morbum efficiat, nisi error aliquis superueniat: symptomata verò etiam sinè morbo adsunt, & ea solùm est differentia, quòd ægrotantibus symptomata,sanis verò accidentia dicantur.

Siquis tamen obijciat Hippocratem dicentem,quę relinquuntur in morbis,post iudicium recidiuas facere consueuerunt: vnde infertur, non esse necessarios errores, vt eueniat morbus, siquidem reliquię per se ipsas possunt recidiuas facere, respondeo,conualescentes tractari certa quadam industria,quam si omittamus,pro errore habetur.

In huius rei gratiam considerare oportet,ex Galeno de tumoribus pręter naturam citato,corpora quędam esse disposita secundùm naturam, & hæc sana quidem sunt in habitu: alia non natura disposita,vel sint supra id,quod est secundùm naturam,vt sunt corpora obesa,vel infra,vt corpora gracilia: hæc autem sana etiam sunt,sed affectu, & media inter secundùm naturam,& præter naturam.

Eorum autem corporum,quę non natura sunt, & sana in affectu dicuntur,excessus est iam præter naturam; Cæterùm quamuis sit præter naturam,non adhuc est morbus: quippe status neuter præter naturam est,non tamen morbus, cum de ratione morbi sit sensibilis illa operationum læsio, ad quam non quilibet lapsus accedit,vt iam supra declarauimus.

Quapropter Rosselus minùs rectè cōfundens statum neutrùm cum sanitate ex affectu, putat statum non à natura infra esse conualescentis,qui ascendit ad sanitatem, supra verò decidentis,qui ad imminentem morbum delabitur. At Galenus non de decidente, & conualescente, sed de obeso, & gracili, qui tales fiunt non à causis præter naturam, sermonem habet.

Si

Si quæratis, vnde nam colligo, statum neutrum esse diuersum ab statu sanitatis κατὰ σχέσιν, hoc est ab affectu, afferam vobis Galenum in libro de arte ad Thrasybulum, qui tres artis partes distinctas nobis tradit præter partem curatiuam: analeptice, salubris, euectice: hę enim sunt, quæ exigua vitia tollunt, & ratione maioris, minorisq; differunt: magis enim parua castigat euectice, minùs verò salubris, hac adhuc minùs parua emendat analeptice. Si ergo scientiæ distinguuntur per obiecta, tres debent esse status, per quos tres artis partes distinguuntur. Cap. 3.

Itaq; sanitas in habitu, si exiguum aliquem lapsum patiatur, adeò tamen exiguum, vt non amittat nomen sanitatis in habitu, ad euecticen pertinet: si lapsus iam sit maior, erit sanitas in affectu, & pertinebit ad salubrem artis partem: si adhuc maior, iam non poterit retinere nomen sanitatis, & dicetur neutralitas, pertinebitq; ad analepticen. Hinc sequitur status morbosus, cui debetur curatiua, sicut statui optimæ sanitatis conseruatiua, & ei, cui morbus nō dum adest, futuræ tamen ęgritudinis suspicio est, prophylactice, hoc est, præseruatiua.

Cæterùm analeptica, si ad sanitatem spectemus, magna vitia emendat, si ad morbum, non magna: vnde colligo, statū neutrum, cuius analeptica est, magis distare à sanitate, quàm à morbo, ac proindè potiùs dici præter naturam, quàm non à natura.

Analepticen ęmulatur gerocomice, quæ senibus præest, vnde senes neutros esse constat, eosq; semper Galenus conualescentibus comparat: cęterùm pueri, & senes impotentes admodùm sunt, sed pueri à natura, quam adminiculantē habent, prouehuntur, senes ab eadem defatigata destituuntur.

Cæterùm videntur senes potiùs inter ęgrotātes, quàm inter neutros esse collocandi: quippe senectus ipsa (vt communiter iactatur) morbus est. Sed dicterium quoddam hyperbolicum est ad augenda, & amplificanda senilis ætatis incommoda.

Ad videtur Aristoteles aliter sentire, dum ait, senectutem esse quandam putredinem. Sed Filosophus tunc loquebatur de aere, quo existente putrido, viuentia ab illo alterata faciliùs in senectutem incidunt. Quare cum dicit, senectutē

esse

esse putredinem, intelligendus est in sensu causali, hoc est, inducitur à putredine aeris.

2.Cæl.c.6 Sed adhuc Aristoteles negotium facescit, qui ait, omnes imbecillitates, quę animalibus insunt, esse præter naturam, & exemplum affert ex senectute, & diminutione. Sed nos, dum senectutem præter naturam esse admittimus, neutram esse non negamus: quippe status neuter pręter naturam est. Vel respondere possumus cum D. Thoma, senectutem esse contra particularem formę naturam: quippe quælibet forma intendit esse, & conseruari rei, cuius est forma.

1.2.q.85. art.6 Sed ratione etiam potest probari, senectutem esse morbũ: videlicet, quia conuenit ei morbi definitio, est enim affectus præter naturam lædens sensibiliter operationes. Est affectus, quia nos afficit: est pręter naturam, quia fit à causa præter naturam passo nō conferente vim: lædit sensibiliter operationes, quod manifestè constat.

Supponit hoc argumentum, sanitatem induci ab ambiente continuò corpora nostra exsiccante, quod tametsi admitteremus, adhuc respondendum est, exsiccationem istam fieri ab aere iugiter, & sensim à primo exortu operante secũdùm naturæ ordinem, ac proinde reduci posse ad causas secũdùm naturam: quare senectus sic inducta non est morbus, nisi eam velimus morbum naturalem appellari, vt appellat Ari-
5.Gen. anim. c.4 stoteles: & sic potest explicari vulgatum illud pronunciatũ, senectus est morbus, hoc est, morbus naturalis, vt Galeno pla-
6.Sanit. c.2 cet, quod tamen nihil ad pręsentem rem facit.

Si verò dicamus cum Galeno, senectutem fieri ab interno principio efficiente, hoc non sufficit, vt sit morbus: quippe morbus non est independens, sed debet dependere ab aliqua causa, vel occasione, quæ sit pręter naturam, & cum ea connexionem habere, quod senectus non habet.

2.1.doct. 1.cap.2 Restat, vt status senectutis sit neuter. Hoc in primis habemus ab Auicenna dicente, *Nō est sanitas in vltimo, nec ęgritudo in vltimo, quemadmodum corpora senum, & conualescentium, & puerorum*. Idem etiam alibi repetit. Sed pręstat Galeni sen-
s.3 tract.2 c.6. tentiam in medium afferre, à quo Auicenna suam suscepit. Is in arte medicinali sic ait: *Quæ autem restaurat corpora in conualescentibus, & senibus locum habet*. In illo autem loco,
Cap.100. in quo dubitat, an detur status neuter, ex hypothesi, quod

talis status detur, non dubitat, inter huiusmodi corpora collocandum esse corpus senile. Eius verba sic habent: *Iam si tertia corporis affectio est, quam neutram Herophilus appellat, quę in his, qui è graui euaserunt febre, conualescendi tempore cernitur, & simili ętate, omnino extra morbum senes erunt.* 4.Sanit. tuend. c.6.

Ludouicus Mercatus non patitur, senilem ętatem dici neutram: neq; enim minùs naturale, ac proprium seni salubre temperamentum, quo fruitur, quàm puero, & iuueni: quippe vna est potissima ratio, & naturalis diuersitas ætatũ, quamuis siccitas eo tempore plurimum eluceat: quia non comparatur ab extrinseco efficacia alicuius contrarij, sed ad corruptionem humidæ substantiæ calido agente.

Cęterùm quamuis ab intrinseco principio adueniat senectus, veluti quęlibet aliarum ætatum, & hac saltem ratione, sit secundùm naturam, nihilominùs siccitas ab exortu nobis indita, vt & formationi inseruiret, & postea per ætates robori augendo prodesset, proficua quidem est, vsq; ad ætatem consistendi: quòd si tunc (vt Galenus ait) posset fieri reelementatio, vtiq; corpus incorruptibile permaneret; Cum autem non possit, reliquum est, vt siccitas, quę hactenus vtilis fuerat, aduentante senectute, incipiat esse nocua: & propterea dicitur senecta ætas decidentiæ. Est quidem naturalis, quia ab intrinseco principio, sed quoniam ei tale principiũ, quod alijs ætatibus fuerat proficuum, euadit nocuum, status ille, ratione noxę, dicitur præter naturam.

Hoc probatur: quoniam senectus ab Aristotele dicitur via ad interitum. Sed non ne omnes ætates via sunt ad interitum? Ita sanè iuxta illud, *Omnes morimur, & sicut aqua dilabimur:* & prima die, qua nascimur, incipimus mori. Sed dicitur peculiariter via ad interitum senectus, quia reliquę ętates solo temporis decursu, non autem aliqua causa efficiente ad mortem nos deducunt: senectus verò sua nocua siccitate. 4.Meteor. c.1.

Sed adhuc videtur senilis ætas non posse neutra appellari: si quidem, qua ætas est, non reductionem, sed conseruationem expostulat, dicẽte Galeno, omnem ętatem esse in morbis conseruandam. Sed, vt videtis, dixit in morbis, in quorũ curatione ætatis ratio habenda est, hoc tamen non prohibet, extra morbos suam senectuti deberi prouidentiam. Vel respondendum est, conseruationem esse genus ad omnes artis 8.Meth. c. vlt.

partes, quæ excludunt curationem. Hoc ita habetis apud Galenum ad Thrasybulum citato, vbi artem diuidit in conseruatiuam, & curatiuam: rursus conseruatiuam subdiuidit in euecticen, salubrem, analepticen, prophylacticen.

6 Sanit. tu end. c. 1 Galenus alibi, post ætatem summi vigoris, hoc est, in senectute, robur minui, ait, non tamen sanitatem amitti, tametsi minus hanc, quam antea laudabilem habeant. Vnde videtur constituere senium intra latitudinem sanitatis. Sed respondemus, non vbiq; ex professo vnamquamq; rem à Galeno, multos lepores sectante, pertractari. Sanitatem minus laudabilem appellat eam, quam, si exquisitè loqueretur, statum n utrum appellaret.

Sed ibidem ait, senescere esse secundùm naturam. Est quidem secundùm naturam, nempe secundùm præstitutum naturæ ordinem, sed in hoc ordine reperitur aliquid, quod naturæ impotentiam sapit: sic etiam mors est secundùm naturã, nec tamen propterea definit esse corruptio viuentis. Est ergo secundũ naturã, non tamen eodẽ modo, quo nutriri, & augeri, vt Galenus ait: quippe hæc naturæ sunt opera; senectus verò, & mors nõ opus, sed effectus necessariò cõsequens.

De marasm. c. 1 Cæterùm ea, quæ hactenus dicta sunt, intelligi debent de senectute, ad quã corpus naturalium causarum impulsu vehitur: nam alias temperamentum senile procedit ex morbo, quod Galenus, ex sententiã Philippi, senium ex morbo appellauit: & hæc senectus curationem expostulat, si tamen curabilis est: nam Galenus huic affectum non magis curationem admittere ait, quàm si quis gibbosum curare vellet.

De marasm. c. 5

Sed cur causæ secundùm naturam producunt effectum præter naturam, nempe senectam, quæ, si neutra est, præter naturam cẽsenda est? Respondeo in primis, sicut secundùm naturam multipliciter dicitur, sic etiam præter naturam. Quare potest senectus diuerso modo considerata, & secundùm naturam, & præter naturam dici. Secundùm naturam, quatenus ad causas sequitur naturales, vt est actio calidi in humidum: præter naturam, dum consequitur easdem, iam vltra, quàm corpori conuenit, operantes. Deinde senectus dicitur secundùm naturam, hoc est, secundùm præstitutum naturæ ordinem: dicitur & præter naturam, hoc est, præter intentionem naturæ conseruantis suum indiuiduum.

Tandem

Tandem responderi potest, bonum bono non aduersari: quippe bonum vniforme est, & omnibus communicatur, malo autem & bonum, & malum. Cum igitur senectus malum quidpiam sit, nempe via ad mortem, ærumnarum plena, aduersantur ei causæ naturales, quippe senectutem accersunt, & sic senectus contra naturam est: aduersantur & causę pręter naturam, quę senectutem efficiunt infelicem, & sic est secundùm naturam.

Itaq; si inductione demonstrandum foret, dari statum neutrum longissima euaderet præsens disputatio. Vnum ergo adiungamus statum neutrum, & hic multorum instar erit: nempe qui sumitur à lassitudine.

Lassitudines vel fiunt à causa procatarctica, vel ab interna: & hæ posteriores spontaneæ appellantur; quippe nomine spontanei dupliciter vtitur Hippocrates, vocat aliquando spontaneum id, quod nos facimus sponte nostra, & in hoc sensu lacrymæ spontaneæ in morbis acutis bonę sunt, lacrymæ verò non spontaneæ, vt, *Si nolentes illacryment*, signum lethale existimantur. Alio modo dicitur spontaneum id, quod fit sponte sua, hoc est solius naturæ vel benè, vel malè se habentis viribus nihil interim conferente ægro: sic vomitus spontanei dicuntur ab Hippocrate illi, qui nullo medicamento prouocati, sponte sua eueniunt: sic etiam spontanea hæmorrhagia, quæ nec phlebotomo, nec alio instrumento fit, sed natura aut expellente, aut retinere nequeunte.

Iuxta secundùm significatum dicuntur ab Hippocrate in aphorismo lassitudines spontaneę, quæ nullo præcedente labore eueniunt, & has, dicit, morbos prænunciare, indicans non esse morbos: quòd autem non sint morbi, probatur ex eo, quòd dies decretorios non incipimus numerare ex tempore lassitudinis, sed ab hora decubitus, hoc est, à primo morbi insultu: si autem lassitudo morbus esset, ab eius initium sumendum foret. 2 Aph. 5

Sed poterit aliquis dicere, esse quidem morbum, cæterùm diuersum à morbo subsequente: fiunt enim morbi per protopathiam, hoc est, priores, ad quos sequuntur morbi per hysteropathiam, vel per deuteropathiam, nempe secundarii, siue posteriores. Quid ergo prohibet, lassitudines esse morbos priores, ad quos alij consequuntur?

At non ita'eſt : neq; enim laſſitudines morbi dici poſſunt, quippe eis non conuenit curatio, ſed prophylactice, hoc eſt, præſeruatiua, quæ in eodem ordine eſt cum analeptica. Conuenire autem laſſitudini præſeruationem, videtur inſinuare Hippocrates, dum ait, *morbos prænunciant* : quaſi admonens præcauendum eſſe, ne accidat id malum, cuius prænuncia ſigna adſunt.

Cum igitur non ſint morbi, non ſunt item ſanitas, quippe moleſtam ſecum gerunt ſenſationem, vt mox dicemus. Si nec ſunt morbus, nec ſanitas, reliquum eſt, vt ſtatus ſit neuter. Vt autem monſtremus, laſſitudines ſecum triſtem ſenſationem afferre, altiùs repetenda res eſt.

Laſſitudines tam ſpontaneæ, quàm non ſpontaneæ in triplice ſunt differentia: dicitur enim laſſitudo vlceroſa, vlceris ſcilicet ſenſum vniuerſo corpori inferens, nempe mordacitatem quandam, non aliter ac ſi vniuerſum corpus vlceribus ſcateret : dicitur alia tenſiua, quæ eſt cum tenſionis ſenſu, per inde ac fibræ muſculorum omnes diſtendantur : tertia phlegmonodes, in qua totum corpus incaleſcit, veluti phlegmone apprehenſum.

In laſſitudinibus à cauſa externa, laſſitudo vlceroſa fit excalfacto ſanguine, & reddito bilioſo : tenſiua autem fit ſeruātibus muſculis eam tenſionem, quam, dum violentus aderat motus, habebant : fit phlegmonodes exudantibus excrementis à venis ad muſculos, quod quidem exercitatione fit. Sed de laſſitudine non ſpontanea ſit ſatis.

In laſſitudinibus ſpontaneis, vlceroſa fit præ abundantia excrementorum, quæ aut cruda ſint, aut bilioſa : tenſiua ex plenitudine quoad vaſa, de qua inferiùs dicemus : phlegmonodes verò ex duabus dictis mixta eſt, vt Galenus tradit, tum in commento præcitati aphoriſmi, tum in 4. de ſanitat. tuēda, vbi ait, *Tertium laſſitudinis genus, quod eſt phlegmonodes, ex plethora ſimul, & dicta cacochymia fit* : dixerat enim tenſiuam à plethora, vlceroſam à cacochymia fieri. Nihilominus 3. ſanir. tuend. monſtrat, hanc tertiam differre ab ambabus alijs, & eſſe ſimplicem : quoniā quidpiam habet proprium, quod nulli aliarum conuenit, nempe tumorem muſculorum.

3. Cap. 2.

Quare, quemadmodùm diximus, plenitudinē phlegmonoſam,

nosam, quę elercitatione fit, fieri transmissis recrementis à vasis ad musculos, sic dicendum est, in spontanea fieri ob plenitudinem in vasis, & recrementa in sanguine, musculis interim in se recipientibus aliquid, à quo intumescunt. Erit ergo in vlcerosa cacochymiæ quædam species, in tensiua plenitudo ad vasa, in phlegmonode plenitudo; & corruptela non solùm vasa occupans, sed redundans in musculos:

Videbitur alicui cõtradictionis reus Galenus, qui aliquãdo tres simplices lassitudinis species nobis tradit, aliquando tertiam nihil aliud esse, ait, quàm duas priores inter se mistas. Cęterùm considerare oportet, lassitudines, vel spectari quoad sensum, quem inferunt, & tunc phlegmonodes sensũ exhibens mistum ex tensione, & morsu, mista species ex duabus dicetur: vel spectari quoad causam materialem, ex qua constant, & sic etiam esse speciem compositam: quippe tensio fit ex multo succo misto ex prauo.

Ergo & ratione doloris, & ratione causę materialis potest lassitudo phlegmonodes mista censeri: sed tamen spectata rei natura, hoc est, consideratis affectibus, quos lassitudinosum corpus patitur, diuersa quędam species est: patitur enim affectum, qui nulli ex duabus alijs debetur, nempe tumorem musculorum. Hoc ego sic ostendo: phlegmon, tametsi fiat à sanguine, differt à plenitudine: phlegmon erysipelatodes, tametsi fiat à sanguine, & bile, differt à plenitudine, & cacochymia, ergo nihil prohibet, lassitudinẽ phlegmonodem, licèt fiat ab alijs duabus, differre ab illis, per affectum sibi proprium, qui alijs non conuenit.

Plura hic explicatione digna, mihi se offerunt. Vnum est, quoniam diximus, lassitudinem phlegmonodem fieri, cum transmittitur excrementosus humor à vasis ad musculos, quippe musculi plus nimio excalfacti attrahunt ad se aliquid excrementosum. Quæsitu dignum est, cur etiam tendones, & nerui non possint, calore affecti, aliquid etiam attrahere? Possunt quidem, neq; est, cur aliquis de hoc dubitet.

Sed si attrahunt, quis sequetur affectus? Respondet Galenus, fieri passionem, quæ ostocopus appellatur, eiusq; sensationem esse profundam in partibus valde alto loco sitis, nempe in ossibus, vnde nomen accepit, non quod ossa sentiant, nam natura consultò ossibus sensum denegauit, ne 3. Sanit. tuend. c. 4.

continuo pondere membrorum, quibus sustinendis sunt dicata, molestam paterentur sensationem, molestiamq; corpori exhiberent. Hæc ratio communiter afferri solet, quę mihi nunquam potuit placere: nam si ossa ideo non sentiunt, quia, si sentirent, continuè doloret homo, ossibus prę pondere dolorem inferentibus, cur natura ossa periostio sensus participe vestiuit? Non ne sic etiam dolor ex pondere mēbrorum fieret? At non sentitur grauantium membrorum molestia, quia nullam sua grauitate exhibent: quippe membra spirituum leuitate suo modo eleuantur, nec cōprimunt subiecta ossa. Hinc est, quòd imbecillos, & ex morbo consumptos ex decubitu in lecto dolor internus vexat, & tolerare diù vnum decubitum nequeunt. Hinc est, quòd ait Hippocrates, *Dolore à stragulis, malum*: quippe summa membrorum debilitas præ inopia spirituum significatur, vnde membra spiritibus destituta grauiora sentiuntur.

Aliunde ergo quærenda est ratio, & profectò fatuum est particularem quærere, vbi communis suppeditatur: commune autem est omnibus visceribus internis non sentire; sic cerebrum, pulmo, cor, hepar, lien: quippe nihil faciens frustra, membra, quæ, quoniam intus inclusa latent, defensa sunt à causis dolorem inferentibus, sensu priuauit: addit duritiem, quę sensationi maximè obest: propterea cutis à natura ad sentiendū efformata, vbi incalluit, sensum amittit.

Nec mihi afferatis dentes, qui, solidissimi cum sint, vehementer tamen dolet. At non dolet dens, sed neruus substractus: transmittitur autem intemperies celeriter propter soliditatem dentis: nam qualitates faciliùs per densa, quàm per rara corpora diffunduntur; quippe, vbi meatus sunt angustiores, facilior est extensio: patet in cacabo ęneo, & olla figulina, in illo enim velociùs, quàm in hoc, calescit aqua. Quòd autem dentes non sentiant, probatur, quia secti, fractiuè non dolent.

Alterum, quod se obtulit explanandum, est, cum plenitudo ad vasa habeat secum ad unctum sensum tensionis, num sensatio ista fiat in tunicis venarum, sese præ multitudine distendentibus: hoc si sit, necesse est, venas sensum habere, quod Galeni authoritate potest confirmari: quippe 2. de loc. affect. nec non in libris method. venis & arterijs doloris

speciem quandam tribuit: Nihilominus sæpe venas insensibiles esse ait, & de vsu part. vasis omnibus sensum negat. Laurentius hanc contradictionem concilians ait, sentire quidem venas, & arterias, sed exiliter. Verumtamen displicet mihi hæc conciliatio: nam quod exiliter sentit, non potest dici insensibile, ac propterea non debet dari dolor, vbi exilis est sensatio. Potiùs mihi videtur dicendum, venas, & arterias non sentire ratione propriæ tunicę, sed communis, qua exteriùs vestiuntur. Lib, 11

Quod autem diximus, id, quod exiliter sentit, non posse dici insensibile, videtur impugnari posse ea ratione, qua Auenzoar ossa dicit sentire, sed obscurissimè: nēpe quia in eodem sensu dicimus insipidum, quod nullum habet saporem, sed diuersa est ratio: nam insipidum dicimus ob inopiam vocabulorum id, quod nullam ex octo saporum speciebus habet, at inter sensibile, & insensibile non datur medium.

Tertium explicatione dignum, est, quid sit plenitudo. Huic Galenus libellum integrum dicauit. Est autem initium sumendum ex duplici acceptione, qua sanguinis vocabulo vtimur: vel enim accipitur pro sanguine, vt est quartus quidā humor, vel pro omnibus quatuor humoribus, suam debitam proportionem seruantibus. Dari quartum humorem, qui dicitur sanguis, Plusquàm Commentator negat. Sed non est præsentis instituti hoc paradoxum euertere: satis est eius fundamentum dumtaxat attingere, quippe leui tactu corruit. Putat ille, quemadmodùm lac nihil aliud est pręter tres substantias, caseum, butyrum, serum, sic etiam sanguinem, seù totam humorum molem (massam sanguineam vocant barbari) non esse aliud, quàm pituitam, & vtramq; bilem. Sed ego ab eo petam, vt accipiat tres substantias, vnam nigram, qualis est melancholia, alteram flauam, qualis est bilis, tertiam albam, qualis est pituita, & ex his tribus inter se permistis mihi eliciat substantiam rubram. Deinde cum sanguinem extrahimus è saphenis, peluis aquam sanguine mistam habens nobis offert quatuor substantias satis distinctas: est enim pingue quidpiam araneorum telis simille supernatans, quod bilem refert, est rubeus color, quo aqua tincta est, sunt & albi quidam flocci, qui pituitam referunt, & nigra bilis sese ostendit nigris quibusdam grumis.

Itaq; vt ad plenitudinem accedamus, ea fit (iuxta Galenũ 2. local.) ***Quatuor humoribus iuxta proportionem redundantibus, vel solo sanguine.*** Quænam est isthęc proportio? Videlicet vt sanguinis sit maior quantitas, deinde pituitę, tertio melancholiæ, bilis quarto. Sunt, qui tertiũ locum bili tribuant, quartum melancholię, & rationem adiungunt, quia rationi consentaneũ esse dicunt, vt humoris valde perniciosi, qualis est humor ater, minima sit quantitas. At non vident, hic supponi humores naturaliter se habentes, melancholicus autem humor naturaliter se habens non est omnino perniciosus, imò ad aliquos vsus in corpore necessarius, de quo nunc non disputo: sed aduerto, humorum proportionem debere accipi iuxta necessitatem nutritionis: at plura sunt membra, quę melancholico sanguine nutriuntur, quam quę bilioso.

Hac seruata proportione, si omnes humores simul augeãtur, plethora est, sicut etiam est plethora, si solus augeatur sanguis, qui est quartus quidam humor, hoc est, si supra debitam proprotionem crescat. Si autem aliquis ex alijs humoribus augeatur, an plethora dici possit, inferiùs dicemus: sufficiat; nunc ex Galeni verbis elicere definitionem hanc, plenitudo est redundantia quatuor humorum suam proportionem seruantium, vel solius sanguinis. Vnde Galenus in methodo quando considerandum esse, inquit, num corpus totum, aut sanguine, aut humoribus omnibus ęqualiter redundet, quod plethoram vocant, accipit illud æqualiter, hoc est, ad proportionem: nam, ***Si inęqualibus æqualia adijciantur, erit totorum excessus excessui eorum, quæ principio erant, ęqualis.***

Meth. 13. c. 4.

Euclid. lib. 1. ax. 16.

Deceptus itaq; fuit Leonarthus Fuchsius existimans, plenitudinem, quę propriè plenitudo vocanda sit, non fieri, nisi ex omnibus humoribus æquè, aut iuxta proportionem redundantibus. In primis enim, si existimat, aliud esse ęquè redundare, ab eo, quod est redundare iuxta proportionem, turpiter confundit plenitudinem cum cacochymia: nam in plenitudine humores seruant suam proportionem; si ergo humores ęquè redundent, ita vt fiant inter se æquales, dissipata proportione vtiq; plenitudo esse nequit: si verò accipit hæc duo, quasi vnum sit alterius synonimum, tolerandus quidem est.

Deindè cum nolit dari plenitudinem ex solo sanguine, diuersam ab alia, quæ fit ab omnibus quatuor humoribus, Galenum cogit committere nugationem: quippe cum Galenus dicat, vel fieri à solo sãguine, vel ab omnibus quatuor humoribus, idem foret, ac si diceret, vel fieri ab omnibus humoribus, vel ab omnibus humoribus.

Probare contendit suam sentẽtiam Galeni authoritate in libro de plenitud. dicentis, *Non enim potest tam exquisitus aliquando sanguis in venis contineri, vt nihil in eo neq; bilis, neq; pituitæ, neq; sero similis feratur ichoris: proindè ego supra siue humores dixissem, siue sanguinem redundare, censebam perinde audiendum*. Hinc colligit, redundantiam sanguinis, esse redundantiam quatuor humorum, nõ autem solius sanguinis. Cap.15

At nos concedimus, sanguinem in venis non posse esse solum, & impermistum, negamus tamen, non posse solum redundare: aliud enim est, in vase vinum, & aquam inter se permisceri, nec posse alterutrum separatum existere, aliud, nõ posse aquam superabundare: potest quidem iuxta illud Petronij Arbitri dictum.

In cratere meo Thetbys est permista Lyæo,
Est Dea mista Deo, sed Dea maior eo.

Veruntamen videtur, non adhuc verbis Galeni factum esse satis: nam Galenus ait, siue humores, siue sanguinem redundare perinde esse. In quo videtur insinuare, vnum alio non differre, ac loquitur quidem de redundantia, non de existentia. Verùm hoc nihil contra nos facit, nam in ea plenitudine, in qua humores omnes ad proportionem sunt aucti, possumus dicere, humores redundare, possumus etiam dicere, redundare sanguinem: quippe sanguis (vt iam diximus) vel significat quartum quendam humorem, vel omnes quatuor suam proportionem seruantes, atq; Galenus, ibi solùm vult, eam esse mistionem sanguinis cum alijs humoribus, vt propter excessum sanguinis, qui est quartus humor, totum compositum sanguis appelletur: & sic non de re, sed de appellatione agit, propterà inquit, *Siue humores siue sanguinem dixissem*. Notare debetis,

verbum illud *dixissem* referri ad appellationem.

11. Meth. c.6. Affert etiam alium locũ Galeni, vbi ait, *Vbi enim aequabiliter inter se succi aucti sunt, id plethoram vocant: vbi verò vel flaua bile, vel nigra, vel pituita, vel serosis humoribus refertum corpus fuerit, eam affectionem cacochymiam, non plethoram nominant*. Ex his Galeni verbis sic colligit. Aut redundant humores omnes simul, aut illorum aliquis: si omnes simul, plenitudo est, & hęc siue ad vires, siue ad vasa: si eorum aliquis, cacochymia est, non plenitudo.

Sed ego in illum hæc Galeni verba retorquebo. Inquit Galenus, si vel pituita, vel flaua, vel atra bile, vel serosis humoribus refertum fuerit corpus, cacochymia est, ita est: sed ibi nulla sanguinis, qui est quartus humor, fit mentio: ergo sanguinis redundantia non erit cacohymia: quare superest, vt sit plenitudo. Respondebit ne, sanguinem solùm non posse redundare? At Galenus in libello de plenitudine, solũ

Cap.17. sanguinem, ait, recipere posse maximam eminentiam in plethoricis affectionibus, nullum aliorum posse. Abeat igitur Fuchsius cum sua iniqua opinione.

Dixit ergo Galenus, in plethoricis affectionibus solum sãguinem posse recipere eminens augmentum, aliorum quẽlibet non posse. Quid hoc est? Nunquid alij humores à sanguine possunt recipere in plethoricis affectionibus augmẽtum? Possunt quidem, non tamen maximum, neq; per se solos, sed vnumquemq; simul cum sanguine efficere plethoriam, licèt impuram. Vnde Galenus, ruborem nõ simpliciter plenitudinis, sed sanguineę plenitudinis signum esse, ait. Hæc sanguinea plenitudo est, in qua redundat solus sanguis: concedit ibidem ipsemet plenitudinem pituitosam, biliosam, melancholicam. Has autem ita accipite, vt horum humorũ aliquis redundet, dummodò tamen duas habeat conditiones: prima est, vt sanguis simul etiam redũdet, aliàs sanguine ab aliorum humorum quolibet superato, non potest esse plenitudo: altera, vt humor ille non redundet excessu valde magno, sed vsque quò grauitatis, tensionisue sensatio adsit: nã citra hanc plenitudo esse nequit.

Vlteriùs scire oportet, duplicem esse plenitudinem, alterã quoad vasa, alteram quoad vires: quippe quantitas humoris nunquam per se ipsam efficiet plenitudinem, nisi ad alte-

rum

rum comparata. Potest ergo in nostro corpore conferri vel ad vasa, in quibus sanguinis massa continetur, vel ad vires, à quibus gubernatur.

Plenitudo ad vasa non solùm de animalibus dici potest, sed de rebus etiam anima carentibus, vt sunt fictilia, ęnea, ferrea, & quæcumq; ex auro, argento, stanno fiunt, tegumenta etiam, & reliqua, quæ ob multitudinem materiæ inclusæ rumpuntur, quod Galenus nobis tradidit in libro de plenitudine non longè à principio.

Itaq; in nostro corpore plenitudo ad vasa dicitur, quoties augmento sanguinis distenduntur vasa. Hæc plenitudo, cũ euadit magna, periculum infert ruptionis, aut interceptionis venarum. Atq; hic est ille habitus Athletarum, qui si ad summum bonitatis peruenerit, periculosus ab Hippocrate censetur: propterea statim soluendus est. Plenitudo isthæc peculiari nomine plethora dicitur. Quare errant, qui plethoram tam eam, quæ est ad vasa, quàm quæ ad vires, solent appellare. 1. Aph. 3.

Huic occurrimus sanguinis missione, & multo magis si secum afferat lassitudinem phlegmonoden: nam tunc iam sanguis aliquam admittit corruptelam, propterea Galenus, in hac plenitudine potiùs, quàm in duabus alijs periculosũ esse, ait, omittere venę sectionem: nam in vlcerosa cacochymia adest, cui magis debetur purgatio, quàm sanguinis missio: in tensiua sanguis in tota sua bonitate potest solo victu tenui ad minorem redigi quantitatem: in hac verò, in qua simul cum quantitatis excessu aliquod in qualitate vitiũ reperitur, prõpterea requiritur euacuatio per sanguinis missionẽ. 4 Sanit. & de sang. miss. c. 6.

Sed cur per sanguinis missionem? Quia scilicet nondum sanguis degenerauit à forma sanguinis, & in hoc statu sanguinis missio à Galeno proponitur magis, quàm purgatio, nisi æger, præ timiditate, nolit se medico committere ad extrahendum sanguinem. 4. Sani. c. 4.

In hoc reprehenditur Galenus ab Argenterio: neq; enim putat, posse vllo pacto purgationem in locum venę sectionis succedere. Verumtamen desinat reprehendere: nam vbi medico non pareat æger, sibiq; sanguinem extrahi nequaquam patiatur, bonum est purgante medicamento vti, cum satius sit, sanguinem solum redundare, quàm cum eo

reliqui umores: loquitur namq; Galenus ibi de redundãtia sanguinis,quę alicuius corruptelæ sit particeps: quare dempta parte humoris,quæ erat simul cum sanguine,demitur pars aliqua plenitudinis.& tandem deminuta portione humorum in venis contentorum,angustatio,quæ præerat, fit minor.

Sed quoniam diximus,ex augmẽto sanguinis periculum imminere tum ruptionis,tum interceptionis venarum, hæc quoq; duo explicare erit operę pretium. Et quod attinet ad ruptionem,siue vasa rũpantur,quod dicitur, ῥῆξις, siue eorũ orificia aperiantur, quod dicitur, ἀναστόμωσις, a multitudine fit: sicut διάβρωσις, siue erosio à praua qualitate. Ruptio itaq; siue apertio,quam ex multitudine fieri,diximus, in arterijs periculosissimi sunt casus, in venis periculo nõ carent, maximè in vasis pectoris, vbi frequens est huiusmodi calamitas: vasa enim ibi ampla multum sanguinem ad se trahunt propter illius partis caliditatem, quæ ei ex vicinia cordis aduenit: Quapropter cum quispiam grauitatis sensu vexatur (est enim hæc sensatio vtriusq; plenitudinis comes indiuidua) debet statim ad hoc auxilium, tamquàm ad sacrũ fontem, recurrere,

Quod verò attinet ad interceptionem, maius in ea,quàm in ruptione periculum adest: quapropter Galenus in commento præcitati aphorismi ait, ex habitu illo athletico periculum esse,ne vel vasa rumpantur,aut subita mors adueniat: subitam mortem afferens,quasi effectum interceptionis vasorum: quippe hoc affectu impeditur sanguinis, & spirituum, hoc est, calidi innati, liber commeatus, & ab Hippocrate postulata, omnium, quæ in corpore sunt, vuiuersalis conspiratio. Sed quando mors repentina non adueniat, saltem fieri nequit, quin sanguis interceptus, ac subinde cõculcatus, & non satis difflatus putredinem concipiat, & putridis vaporibus ad cor transmissis, febris putrida excitetur, quæ ex putrescente sanguine orta, citò in biliosam euadit, & ex sinocho fit causon. Cumq; sanguis natura sua sit humor benignissimus, & natura pręstantissima præditus, cum rursus ea,quæ præstantioris sunt naturæ deteriore putredine corrumpantur, fit ex aucta sordida putredine febris, quæ fiet mali moris,& increscẽte putredine euadet pestilens. Verùm de plenitudine ad vasa sit satis.

Acce-

Accedamus ad plenitudinem quoad vires. Hæc respectū ad vasa non habet: siue enim vasa sint, plusquàm oportet plena, siue non admodùm, hoc parum refert, dummodò multitudo sanguinis sit talis, vt ex ea vires molestam sarcinam sibi impositam ostendant.

Plenitudo ergo quoad vasa, si magna sit, adeò vt lassitudinem secum habeat, profectò secum necessariò comitem plenitudinē quoad vires habere debet. At è contrario plenitudo quoad vires potest esse maxima absq; cōsortio plenitudinis quoad vasa. Hoc probatur, quia quantitas sanguinis, quę non potest vasa replere, licèt vni non sit grauis, quippe robustior est, alteri verò imbecilliori grauitatis sensum potest afferre. Ita vt verum sit, in hac plenitudine, non quid vasorum capacitas, sed quid virium robur, imbecillitasue postulet, esse considerandum.

Hic nobis cum Galeno habenda res est: quippe in libello de plenitudine inuehitur aduersùs Erasistratum, quòd dixerit, sanguine aucto, virium etiam augeri robur: hanc ego difficultatem in meo comment. ad Hippocratem de alimento nuper edito explanaui. Cap. 7. Quæst. 6.

Cæterùm si sanguinis incrementum vires grauet, venæ sectio summoperè conuenit: nam tametsi hæc plenitudo non minùs, quàm altera, quę est ad vasa, possit ex sanguine inculpato fieri, nihilominùs non potest sanguis, qui vires grauat, natiuam gratiam diù seruare. Vnde decipiuntur ij, qui plenitudinem quoad vires cum cacochymia confundunt: quāvis enim in hac plenitudine citò, ni ei occurratur, corruptela fiat, potest tamen initio ex sanguine inculpato fieri. 2. Aph. 17.

Sed cum vires in huiusmodi plenitudine laborent, & virium robur ad missionem sanguinis requiratur, non videtur locum habere sanguinis missio, imò potiùs ipsum affectum nos ab hoc auxilio deterrere. Verumtamen considerare oportet, vires opprimi vel per aggrauationem, vel per essentiam: si hoc secundum, profectò temeritatis accusandus foret medicus, qui ægroto sic periclitanti periculum, misso sāguine, augeret: si primum, tantum abest, vt virium oppressio sanguinis missionem contraindicet, & dissuadeat, quin potiùs eam postulat, tamquàm remedium nullo pacto omittendum.

Sed

Sed quî fieri poteſt,vt vnam ab altera virium oppreſſionē diſcernamus? De hoc videbitis multoties medicos inter ſe valde decertantes, tamquàm de grauiſſimo negotio, vt certè eſt. Verùm leuiter poſſet inter eos conuenire,ſi ea, quæ à Galeno in hanc rem ſcripta ſunt, illis onnoteſcerent:quippe 2. lib. de cauſ. pulſ. & de præſagit. ex pulſ. ob oculos nobis proponit duos homines,qui pedetentim gradiantur, quorū vnus robuſtiſſimus cum ſit, ſarcinam tamen portet, alter à morbo,vel à ſenectute debilis,nihil interim onuſtus. Quid eueniet? Nempe debilis æquis plerumq; paſſibus incedet, robuſtus diuerſis, ac inæqualibus, & aliàs alijs; Nam debilis quidem,quantumuis contendat,nunquam poterit celeriter, magniſq; paſſibus progredi: robuſtus verò etiam debiliter, ſed aliquādo ſumpta alacritate aliquantis per celeriùs maioribuſq; incedet paſſibus. Idem agnoſcere oportet in arteriarum pulſatione: nam cum facultas delabitur, propriamq; imbecillitatem in ſe habet,pulſus fiunt languidi, parui,rardi, Si verò facultas,quantum in ſe eſt,valeat,ſed quantitate præter naturam grauetur,tunc efficiet pulſus varios,& inęquales.

Verumtamen medico hæc conſideranti iudicio eſt opus: nam ipſemet adiungit diſtinctionem quandam, quę in opere non eſt expeditu facilis. Nam ſi reſpicitis ad baiulum portantem grauiſſimam ſarcinam, nunquam mehercule poteſt omni conatu adhibitu ſeſe attollere, & alacrem exhibere. Sic etiam ſi corpus nimio pondere laboret,tunc temporis ceſſat pulſuum inęqualitas,fiuntq; pulſationes abſq; vlla diuerſitate paruę,debiles,& tardę. Si verò baiulus exiguum portet onus, nihil de ſolita alacritate amittet: ſic corpus,leui ſarcina onuſtum pulſus edet magnos,celeres,& frequentes. Tandem ſi baiulus ſub mediocri onere laboret, tunc inęqualiter progredietur, & corpus quidē mediocri onuſtum pondere inęquales habebit pulſus.

Quare non eſt leue diſcernere ſarcinæ quantatem, vtrùm ſcilicet talis ſit, quæ prorſus virtutem opprimat, an forſan mediocris,quæ inæqualitati occaſionem prę\ſtet.

Cap.vlt. Pulſus igitur,iſtius modi affectus, eſt optimus index,vt ait, Galenus in libello de plenitudine: nam vt idem ait in lib. de

Lib.11.c.11, vſu part. committuntur arterijs venæ,& vtręq; neruis per fibras quaſdam tranſmiſſas,quæ tranſmiſſio conueniens eſt ad con-

conspirationem communem, qua opus habent facultates, quę licèt sint diuersę, sunt tamen vnius animę: Idcirco tam ex actionibus facultatis, quàm animalis, quàm etiam naturalis cognoscitur plenitudo: quippe ea præsente sensus adest grauitatis, & sic virtutis animalis ostenditur noxa: deinde transmissis humoribus à venis ad arterias, pulsus immutantur, & sic vitalis patitur: tandem ob satietatem quandam membrorum, ob multitudinem sanguinis, virtus naturalis non rectè concoquit, quod significauit Galenus inquiens, per eam multitudinem, quę est ad facultatem, hoc est, ad vires, citò ad corruptelam veniunt succi, quia neq; vincuntur, neq; coquuntur, vt pote facultate, quę ipsos elaborat, debiliore. Atq; hoc est illud, quod supra dicebamus, non posse sanguinem, qui vires grauet, suam gratiam diù seruare. 1. Diff. feb. c. 3.

Cum ergo pręcipua cognoscendi plenitudinem via sit, ad quam nos deducit arteriarum pulsatio, miror Hippocratem sapientissimum medicum, qui partem sphygmicam contēpsit, dicente Galeno, eum, vel quia pulsuum artem non nouit, vel quia contempsit, de pulsibus non egisse. Nouisse quidem, & considerasse arteriarum pulsationes, constat ex non nullis eius locis: verùm non adhuc suo tempore pulsuum differentię perfectè innotescebant. Hanc artem posteà excoluit Archigenes, & ad perfectionem deduxit Galenus: extabant tempore Hippocratis quædam duntaxat artis rudimēta.

Videat Excell. D. Ioannes Franciscus Gerius siquid in hoc opere continetur Pietati Christianę bonisue moribus aduersum, & referat datum 10. *Septembris* 1642.

Vincentius Rabatta Vic. Gen. Flor.

Iussu Illustriss. ac Reuerendiss. D. D. Vincentij Rabattę Vicarij Generalis Florent. Lecto hoc Opere excellentiss. viri D. Stephani Castrensis, pręceptoris mei, nihil in eo Catholicæ fidei, aut probitati contrarium offendi, sed omnia doctrina, & eruditione, vt solet, referta: & in fidem manu propria subscripsi Florentię die 18. *Septembris* 1642.

Ioannes Franciscus Gerius Medicus Physicus.


Attenta Relatione suprascripta Imprimatur Consultatio, seruatis seruandis. In die 24. Septembris. 1642.

Vincentius Rabatta Vic.Gen.Flor.

Potest imprimi supradicta Consultatio Florentię die 26.Septembris 1642. F.Alexander a Nitia palearum Cancell. S.Offitij de mandato Reuerendissimi Patris.

Mag. Io:de Muzzarellis Inquis. Gener.

Alexander Victorius Senator, Sereniss. M.Ducis Auditor.


ALLEGRI
LABORAT.
RESTAURO
LIBRI
PARMA